8047

N

Zwód zupełny statutów
Kazimierza Wielkiego

[Litografowana kopia rękopisu
Fr. Piekosińskiego, odpis tekstu
ustalonego przez A. Z. Helcla.]

Non debet reprehensibile nec mirum iudicari, si secundum temporum varietatem, consuetudines et statuta humana varientur, cum cuilibet non sufficiat virium fortitudine pollere vel armorum pulchritudine esse ornatum, si moribus et statutis non fuerit decoratus. Et ob hoc nos Casimirus dei gracia rex Polonie, vna cum baronibus nostris, nutu et voluntate dei considerantes, quod iuxta temporum antiquitatem, in terris dominio nostro subiectis plereque cause in iudicijs non vniformiter, sed secundum capitum seu animarum diuersitatem, quamuis super vno et eodem facto varis et diuersimodo deciduntur et diffiniuntur, ex qua varietate questiones seu cause plerumque post multiplices vexaciones remanent quodammodo inmortales, quapropter ad laudem dei omnipotentis, beate virginis Marie tociusque curie celestis, et ad profectum, commodum et vtilitatem nostrorum subditorum, decreuimus predictorum iudiciorum seu causarum decidere et euellere varietatem, volentes et statuentes, quod deinceps perpetuis temporibus iuxta infrascripta duntaxat statuta omnes et singuli iudices terrarum nostrarum debeant et teneantur iudicare et eadem statuta districte et firmiter obseruare.

1. Cum omnes constituciones et statuta legem imponant rebus et negocijs futuris et non preteritis, volumus, vt omnes nostre constituciones, edite nunc in colloquis generali in Vislicia, non respiciant preterita, sed tantummodo presencia et futura. Vnde si quis citat ad iudicium aliquem pro hereditate in pecunia obligata et ipsum ad iudicium euocat, extunc si reus in termino peremptorio non parebit, actor lucrabitur nominatam hereditatem, pecunia reo nihilominus restituta.

2. Crebra altercacione inter nostros subditos super limitibus in hereditatibus ipsorum distinguendis, graues questiones suscitantur, ex quibus expense augentur et labori nimio interdum supponuntur discordantes. Et quia alvei fluuiorum, vt plurimum, inter hereditates profluencium habentur, vnde si que vel

te aut hereditates invicem conveniunt, aliquo fluvio vel rivulo mediante, ita, quod quelibet hereditas suam ripam teneat illius fluminis, ad ipsam protensam, quod si idem fluvius obmisso priore alveo diverterit suum meatum sive defluxum per alia loca non ministerio hominis sed virtute propria, tunc primus alveus, vbi antea fuit decur- sus aque, pro veris limitibus est reputandus et ibidem in lacu illo de vtraque villa homines inhabitantes faciant licite suas piscaturas. Secus autem dicimus, si fluxus fluminis a proprio meatu per reparacionem hominis re- trahatur, tunc etenim decursus fluminis pro terminis semper est habendus.

3. Ius militale. Quidam ex nostris nobilibus cum in castris contra hostes positi fuerint, abiecto omni rubore cum minima strenuitate communicantes, sub nullius vexillo de nostro exercitu se locare consueverunt, ad hunc finem, ut machinarum propugnaculorum aut ipsius exercitus custodiam evitent et defensionem, quam ceteri fratres ipsorum sub certis vexillis locati, secundum ordi- nem inter ipsos positum facere consueverunt. Et quia tur- pis est pars, que suo non congruit vniverso, statuimus, vt quilibet miles aut simplex sub certo vexillo erecto cum sua stacione conquiescat, vt ingruente necessitate belli et dimicacionis cum hostibus, sciat capere locum certum pro sui vexilli defensione. Aliter volumus, quod si tales amplius in nostro exercitu fuerint inventi, per subcamerarium, sub quo degunt, captivati, captivi no- bis debebunt presentari, equi vero eorum eidem subca- merario pro ipsa culpa applicentur.

4. Quia victus victori tenetur satisfacere de eviccione et de iudicio prius non recedere, nisi satisdet, in quo est condemnatus, quidam inopia vel rebellione ducti recedunt de iudicio condemnati, pro debito nullam sa- tisfaccionem adversario impendentes. Propter quod vo- lumus, vt tales inobedientes de malicia ipsorum com- modum non reportent. Postquam victi fuerint in iu- dicio, ad manus suorum adversariorum ligati tradan- tur; et si in captivitate manentes effugerint, a potes- tate ipsorum sint liberi et soluti ipso facto et omni debito, quod tenentur, preter debitum furti, quod sem- per damnati solvere tenebuntur.

5. Ut in rapinis aut in pignoracionibus nostrorum pauperum aliquis modus obseruetur. Consueuerunt auari iudices et eorum officiales, ut postquam pro penis in iudicio lapsis aliquos pauperes aut nobiles inpignorant, statim spolia diuidunt, nullam graciam cum impignorato facientes. Ad succidendum itaque hanc consuetudinem perniciosam et eam amplius seruare nolentes et prohibentes, statuimus, ut si quis iudex, palatinus, castellanus aut ipsorum officiales vel maleficorum iudex, qui oprawca dicitur, aut alius quicumque pro penis iudicialibus per eos latis, aut alijs excessibus aliquem nostrum terrigenam, diuitem vel pauperem, nobilem vel simplicem impignorauerint vel iusserint impignorare, pignora in equis, pecudibus aut in alijs substancijs sic recepta non distrahendo vel diuidendo, si fuerit in estiuo tempore, duabus septimanis integris, si autem hiemali, octo diebus illibata debent per recipientem conseruari, siue iuste pignorati fuerint vel indebite rapina per eos commissa. Et si extunc per illum vel illos, quorum sunt pignora, pro commissis penis non fuerit illis, qui impignorauerunt, satisfactum, vel suam innocenciam non ostenderint, licitum sit pignorantibus illa distrahere et diuidere, pro libera ipsorum voluntate. Quod si tales iudices aut alij superius nominati, eorum auaricie non parcentes, infra predicta tempora inter se diuiserint aut dissipauerint, vel eciam alienauerint vnum animal de predictis, damnum passo iusta valorem animalis deperditi, quod suo comprobabit sacramento, cum pena pyatnadzestha tenebuntur resarcire. Hoc statutum salubre propter nostrorum procuratorum rapinam enormem, quam sepius committunt, ad ipsos et ad vices eorum gerentes extendimus, siue prorogamus.

6. Quia filij cum patribus iuris faccione vna persona censentur, ideoque statuimus, quod viuentibus patribus filij duntaxat sigillo paterno vtantur, et alium portare vel habere non presumant.

7. Quia vnus, presertim quod omnes tangit, inter plures diuisum facilius deportatur, quapropter statuimus, quod indifferenter omnes sculteti, tam spiritualium quam secularium personarum iuxta ipsorum facultatem ad quamlibet expedicionem nobis

cum transire teneantur.

8. Cum nullus iure suo debeat defraudari, et quia plerique clerici nostri regni bona patrimonialia tenentes, de eisdem bonis sub umbra clericali debita nobis et nostro regno servicia in facienda expedicione subtrahere consueverunt, ideoque statuimus, quod ÿdem clerici nostri regni, cuiuscumque status existant, predicta patrimonialia bona tenentes, vel nobis cum personaliter transire teneantur ad quamlibet expedicionem, iuxta predictorum bonorum facultates, vel eadem bona proximis suis laicis fratribus teneantur dimittere et renunciare eisdem. Qui si neutrum facere curaverint, predicta quelibet bona predictorum clericorum decernimus regno nostro perpetuis temporibus applicanda.

9. Ut dominarum habitacio propter fragilitatem sexus a cetibus virorum omnino sit distincta, et ne in causas vocate premant se in turmis masculorum, sanxit nostra auctoritas de presenti, ut si qua domina sive virgo citans aut citata venerit ad terminum sibi prefixum, iudex presidens iudicio officialem suum cum eius adversario ad hospicium illius domine mittere tenetur, coram quibus actionem sive defensionem sue cause advocato vel procuratori, cui placebit, in totum delegabit.

10. Quia cuilibet summa defensio non est deneganda ideoque statuimus, quod in iudicÿs nostri regni quilibet homo cuiuscumque sit status et condicionis, potest et debet habere suum advocatum, procuratorem seu prolocutorem.

11. Quia ex multiplicitate iudicum, prout experiencia nos edocuit in causis, quamvis super eodem facto, vario et diverso modo plerumque sentencia proferebatur, et ideo volentes certum numerum statuere iudicum et occurrere varietati predicte, statuimus, quod unus in Cracoviensi et alter in Sandomiriensi terris iudices nostri habeantur, ita quod dum nos contigerit aliquando terrarum earundem limites subintrare, volumus, quod iudex et subiudex terre, infra cuius limites morabimur, in curia nostra de causis iudicare et cognoscere teneantur, declarantes potestatem eorundem iudicum, quod deinceps in quibuslibet causis

eciam hereditarijs terminos vltra tres septimanas non possint nec valeant assignare, sed cum questio fuerit hereditaria, iudex vel subiudex eandem questionem nobis teneatur referre, cuius cognicionem in nostra et baronum nostrorum presencia volumus et decernimus pertractari, nisi aliquo impedimento essemus prepediti, et tunc sex vel ad minus quatuor baronibus, per nos iudici vel subiudici adiungendis, ipse iudex vel subiudex vna cum dictis baronibus de eadem questione seu causa hereditaria cognoscendi et diffiniendi habeant facultatem.

12. Item vt palatini certo numero suorum iudicum sint contenti, statuimus, quod secundum tempora antiquiora palatinus Sandomiriensis vnus et palatinus Cracouiensis eciam vnus suis iudicibus contententur. Declarantes, quod pro capite quorumlibet castellanorum iudices, quilibet duntaxat in sua castellania, iudicandi et cognoscendi habeant facultatem.

13. Praua consuetudine noscitur esse obseruatum, quod sine temporum et sine horarum differencia et distinccione per iudices iudicia exercebantur, et ita plerique non aliter ad causas veniebant pertractandas, quam post prandium repleti et inebriati, propter quod iudicium paruipenditur, debilior faciliter opprimitur et ad veritatem parum vel pacius nullus respectus habetur. Itaque vt certis temporibus siue horis et debita animi discrecione iudicia pertractentur, statuimus, quod deinceps iudices diebus terminorum a mane vsque ad horam nonam siue ad meridiem in quibuslibet causis debeant presidere et causas pertractare. Et si primo die terminorum ad horam meridiei omnes litigantes in causis et litibus ipsorum non poterint expediri, volumus, quod absque alicuius cause vulneracione diebus proxime sequentibus, presidendo duntaxat ad horam predictam omnes et singuli litigantes debito modo secundum ordinem inprescriptum expediantur. Et ut facilius et sine strepitu causarum expedicio habeatur, statuimus, quod ad locum audiencie, in quo iudices presidebunt, non secundum merita personarum, nec secundum maioritatem vel minoritatem causarum, sed secundum ordinem litigancium, tantummodo actor et reus vocati accedentes, per iudices audiantur et expediantur.

Ordinem autem vocandi ipsos litigantes ad presenciam ipsorum iudicum taliter duximus describendum, quod scriptor causarum sub pena priuacionis sui officij non aliter, quam secundum ordinem citacionum litigantes per ministerialem vocandos nominabit, ita, quod qui prius ad causam prouocauerunt, prius nominentur et expediantur, et qui secundo loco prouocauerint, secundario nominentur et expediantur, et sic deinceps usque ad extremos procedatur. Quod si altera parcium negligenter siue quouis casu impedita et tribus vicibus euocata, se presidentibus non exhibuerit, mox aduersa pars presens de audiencia remoueatur et alij litigantes secundo loco inscripti nominentur et ad audienciam euocentur, et nihilominus pars, que fuerat absens et tribus vicibus euocata [non curauerit parere] si circa extremam horam meridiei iudice quasi surgere volente, secundario tribus vicibus euocata, non curauerit parere, extunc condemnetur. Si quis autem eo tempore, quo iudices president, ad locum, in quo presidebunt, preterquam ad petendum citacionem vel de speciali ipsorum iudicum licencia et mandato, quauis presumpcione et temeritate intrare presumpserit, absque aliqua remissione pena, que dicitur pyanthnadrescze per iudices puniatur.

14. Quia plerumque habentes iurisdiccionem, vel a casu vel pro libito sue voluntatis consueuerunt ad iudicandum acceptare vel eligere sibi loca quelibet indeterminata; et ideo, ut quisque suis terminis sit contentus, statuimus, quod Cracouiensis castellanus in tribus duntaxat locis, videlicet in Cracouia, in Andrzeiow et in Wieliczka debet et tenetur sua iudicia pertractare; alias tamquam a non suo iudice quidquid factum fuerit vel iudicatum, nullam habeat firmitatem. Similiter idem de castellano Sandomiriensi.

15. Quoniam ex modo citacionis nonnulla grauamina et oppressiones nostris subditis per nostros iudices et officiales prouenire consueuerunt, et ideo eisdem grauaminibus et oppressionibus volentes obuiare, statuimus per ministeriales siue officiales, per nos seu quoscumque iudices deputandos, in hunc modum formandam vel

facienda fore citacionem, quod ipse ministerialis cum suo solito baculo ad villam accedere debeat et quum dominus ville pro suo quolibet excessu fuerit citandus, obmissis eiusdem ville villanis in pace et tranquillitate, ad portam curie eiusdem domini ville suo baculo tangendo et clamando, eundem citare teneatur, exponendo nihilominus, de cuius iudicis mandato et ad cuius instanciam, et propter quam causam facit eandem citacionem. Si autem eiusdem ville villani et ipse dominus ville fuerint insimul culpabiles, volumus, quod eodem & modo tangendo portam cuiuslibet villani seu cmetonis, clamando faciat simili modo citacionem. Qui villani si non fuerint culpabiles in delicto sui domini, volumus et precise prohibemus, quod per eandem citacionem quomodolibet non grauentur nec fatigentur, quum plerumque in odium et contemptum domini ville et ex rancore consueuerunt villanos indebite fatigare. Alias si contra hoc ipsos villanos contingerit citari vel fatigari, decernimus, quod procurans citacionem eandem, pena, que dicitur pyanthnadrescze puniatur. Et eodem modo volumus fieri citacionem predictam, ubi sine delicto domini ville, fuerint villani communiter vel diuisim culpabiles et delinquentes, ita, quod ad portam tangendo, quemlibet ipsorum citare teneatur, cessante qualibet oppressione suprascripta.

16. Preterea cum in deliberacione consistat mater virtutum ipsa discrecio, contingit plerumque, quod aliqui nostri familiares vel alii quomodolibet in curia nostra constituti, vel in iudicio arrestati seu inventi inopinate, ad nostram vel iudicum presenciam seu audienciam euocantur, et questiones, de quibus minus cogitauerunt, mouentur eisdem. Ideoque utrique parti prouidere volentes, quod dicto modo citati cum bona deliberacione et discrecione propositis respondeant, et actores suis questionibus seu causis non frustrentur, statuimus, quod cum aliquis in nostra curia vel in iudicio inuentus, ad nostram vel iudicis presenciam fuerit premisso modo euocatus, actor seu ipse iudex questionem seu causam citato debito modo exponere, vel

in scriptis tradere teneatur. Et ad respondendum eidem questioni, vt alias premissum est, si questio fuerit hereditaria vel pro magna pecunie summa, scilicet XL marcis, communis terminus trium septimanarum per iudicem eidem assignetur; alias si pro minori debito vel iniuria verbali, in crastinum terminus prorogetur.

17. Flebili querela sepius recepimus, quod ministeriales per terram girantes, pauperes milites et villas religiosorum fatigandi et vexandi adinueniunt modos exquisitos, ita, quod si alicuius ville pauperes milites aut villani religiosorum eos pro beneplacito ipsorum officialium quibuslibet expensis non pertractent nec procurent, ijdem ministeriales ipsos pauperes milites seu villanos sine culpa et sine causa et absque iudicis precepto citant occasione vexacionis faciende, terminos pro libito sue voluntatis assignantes et statuentes eisdem; et sic ijdem pauperes milites seu villani non valentes redimere aliter vexacionem, sepissime de certa summa pecunie componunt cum eisdem. Vnde nos huiusmodi vexacioni obuiare volentes, statuimus, quod deinceps ministeriales sub pena priuacionis sui ministerialatus et spoliacione omnium suorum bonorum, absque speciali mandato iudicis aliquam citacionem non presumant facere, alias premissam penam et facialem adustionem non immerito poterint formidare.

18. Plerumque fit, quod aliqui propter causas consanguineorum vel familiarium suorum ad iudicia venientes, per strepitum et importunam ipsorum audaciam sentenciam siue victoriam causarum consueuerunt reportare; vnde super hoc prouidere volentes, statuimus, quod deinceps quisquam, cuiuscumque status vel condicionis existat, propter causam consanguinei vel cuiuslibet familiaris aut seruitoris ad iudicium venire non presumat. Qui si contra facere presumpserit, pena, que dicitur pyathnadzesce nostre camere applicanda puniatur.

19. Contigit eciam, quod dum aliqui pro quibuslibet criminibus et delictis ad nostram audienciam euocantur, nominant dominos et quoslibet ipsorum superiores, allegantes, quod mandato et auctoritate suo-

rum dominorum et superiorum huiusmodi crimina et de„ licta commiserunt. Verum quamuis aliquibus tempori„ bus contra racionem fuerit obseruatum, quod huiusmo„ di malefactores per eandem nominacionem a pena li„ berabantur, tamen quia huiusmodi nominacio con„ tinet in se errorem intollerabilem, ex eo, quod direc„ te contrariatur precepto diuino, vnde nos attendentes, quod pena suos tantummodo teneat actores, et secun„ dum canonicam equitatem nominacio in delictis non vendicat sibi locum, statuimus, quod citati pro qui„ buslibet criminibus teneantur respondere, non obstan„ te qualibet predicta nominacione, eciamsi super hoc priuilegijs nostris vel nostrorum predecessorum essent communiti, que quantum ad hoc, vt perniciosa et er„ ronea, cassamus, reuocamus et irritamus. In heredita„ rijs vero et alijs quibuslibet questionibus per citatos in nostro iudicio nominali, si nostram iuris diccionem voluerint declinare, nolentes in se accipere easdem questiones, decreuimus, quod extunc predicti citati, cuiuscumque sint status et condicionis, habeantur pro conuictis.

20. Possibilitas racionis hoc dictat, quod iudices pro exercendis suis iudicijs habeant certos suos minis„ teriales seu officiales: quapropter statuimus, quod pe„ nitus nullus iudex per aliam aliquam personam, quam per certum suum officialem seu ministerialem faciat et expediat suas citaciones, excepto hoc, si aliquod crimen in iudicio vel in curia iudicij recenter et de nouo committatur, tunc pro huiusmodi crimine per quemlibet familiarem licet fieri citaciones.

21. Preterea quandoque presidentes, quandoque ip„ sorum officiales vel notarij aut eorum familiares ali„ quos maliciose laboribus et expensis grauare volentes, pro vexacione redimenda aliquid in peccunia aut a„ lijs rebus extorquere ab eisdem cupientes, quamuis pe„ nitus nihil habeant cause seu questionis, aduersus e„ osdem faciunt et procurant diuersas citaciones. Idcir„ co statuimus, quod si quis citauerit vel citari procura„ uerit aliquem sine legitimo actore, wlgariter przez powoda, taliter citato ipse citans vel procurans talem citacionem, penam wlgariter pyanthnadzescza soluere

teneatur: prohibentes castellanis et quibuslibet iudi-
cibus seu subiudicibus, quod deinceps sine certo acto-
re et causa expressa, non dent aliquas citaciones.

22. Item dum aliquis pro hereditate citatur, et com-
parens in iudicio plerumque maliciose opponit, quod
quia Petrus vel Iohannes in partibus remotis est con-
stitutus et sit coheres eiusdem hereditatis, quamvis
forte nihil iuris habeat ad eandem, ideo dicit, se
non teneri respondere pro eadem hereditate. Quapro-
pter statuimus, quod talis Petrus vel Iohannes in
iudicio nominatus, de mandato iudicis aliquo e-
minenti loco vel circa parochiam, de qua est here-
ditas, pro qua eadem questio movetur, per mini-
sterialem tribus vicibus publice proclamando, ad
prosecucionem seu defensionem cause ad certum
locum et terminum debebit citari; quo non com-
parente, extunc ipsius contumacia seu absencia
non obstante, ad decisionem seu diffinicionem
cause licite procedatur.

23. Experiencia nos edocuit, quod quandoque non
contumaces pro contumacibus vel ipsi contumaces mo-
dum tamen excedendo, pro contumacia puniuntur
et gravantur, videlicet in eo, quod cum aliqua villa
pignoratur, ubi sex boves fuerint recipiendi, XXX
vel XL recipiebantur, et antequam ad locum debi-
tum depellebantur, per modum rapine in non
modicam pauperum destruccionem dividebantur
et consumebantur. Ideo statuimus, quod pro prima
contumacia punienda, ministerialis cum duobus fa-
mulis iudicis ad villam accedens, sicut alias pre-
missum est, cum dominus ville tantum culpabilis
fuerit, in duobus bobus duntaxat inpignoretur;
si autem cmethones extiterint culpabiles et citati con-
tumaces, quilibet eorum tantummodo in uno bove
inpignoretur; et idem decernimus pro secunda con-
tumacia faciendum et observandum. Si autem tercio
fuerint dominus una cum villanis contumaces, de-
cernimus, quod contumax causam, pro qua dinoscitur
esse citatus, perdat et ab ea cadat per sentenciam iu-
dicantis. Declarantes, quod dicti boves pignoratici
per ipsos iudices in estate duabus septimanis, in
hieme vero octo diebus absque aliqua distraccione

debito modo observientur. Volentes et decernentes, quod dicti boves pignoraticij sine pena cuiuslibet contumacie tantummodo nobis et iudici applicentur. Decernimus eciam et statuimus, quod si predicto ministeriali deputato per iudicem ad eandem impignoracionem cum familia ipsius iudicis villa pignoranda per dominum ville et villanos non permittatur impignorari iuxta premissam limitacionem vel ipsa pignora habita per eosdem dominum aut villanos in villa vel ante villam seu in via violenter recipiantur, dolum et rebellionem eorundem puniendo, volumus, quod penam, que wlgariter dicitur pyanthnadzescza iidem rebelles nobis et iudici solvere teneantur, et nihilominus cum alia pena pyanthnadzercza eadem pignora denegata vel violenter ablata integraliter assignare teneantur. Qui si in dandis pignoribus predictis et in satisfaciendo de penis premissis fuerint dolosi et rebelles ita quod iudex forte non sufficiat propter potenciam eorundem, ad puniendum et impignorandum eosdem volumus et decernimus, quod pena, que vocatur siedmdresath nostre camere applicanda puniantur.

24. Preterea quia per frequentem pauperum impignoracionem plerumque pauperes plurima damna et oppressiones multiplices paciuntur, videlicet in eo, quod catervatim et in turmis, non per modum iusticiarie potestatis ad aliquam villam impignoratores accedentes damnabiliter et plerumque absque iudicis mandato et sine culpa domini ville vel villanorum committere plurimas presumunt rapinas; quapropter super hoc providere volentes, statuimus, quod deinceps iudex vel subiudex ad impignoracionem faciendam non plures quam duos famulos cum ministeriali transmittat, et quod sine culpa vel sine causa vel non condemnatos seu convictos aut in iudicio non confessos ipse iudex non presumat nec permittat impignorare. Quod si ipse iudex vel aliqui alij quauis auctoritate vel pocius propria temeritate et presumpcione impignorare et pocius rapinas committere presumpserint, decernimus precipiendo, quod pecora, vel quaslibet alias res racione impignoracionis ablata et recepta, iudex domino ville impignorate vel villanis ville eiusdem asserentibus, indebite et contra iusticiam se esse impignoratos, remota et cessante qualibet difficultate eadem pignora integraliter et ex toto super fideiussoria caucione restituere teneatur, termino eidem

domino ville vel villanis impignoratis ad ostendendum suam innocenciam assignato. Et nichilominus vt audacia et temeritas impignoranciam restringatur, decernimus, quod dum premisso modo sine culpa impignorati patefecerint suam innocenciam, quotquot persone fuerint in dicta impignoracione, iudex vel subiudex, qui fuerint in mandando, pro quolibet ipsorum penam, que vocatur pyanthnadzescza noverit se incursurum, domino ville impignorate persolvendam.

25. Preterea pena, que consuevit nostro fisco sive nostre camere applicari, que wlgariter dicitur syedmdzesath, statuimus, quod tantummodo in quatuor causis infrascriptis et non pluribus nostre camere applicetur. Primus casus est de incendio, vbi accusatus de incendio iuxta formam iuris minime se poterit expurgare. Secundus casus, vbi aliquis accusatus de violencia sive spolio publice strate, defecerit in sui expurgacione. Tercius casus, vbi aliquis in iudicio iudicium nostrum parvipendens, cultellum vel gladium presumpserit extrahendum. Quartus casus, dum aliquis iudicatus et condemnatus et iussus satisfacere vel sufficientem fideiussoriam caucionem prestare et facere contempserit et de iudicio per suam rebellionem discesserit, non prestita predicta caucione. Volumus, quod premissa pena in premissis quatuor casibus nostre camere applicetur.

26. Actor procurat ad causam reum citari, reo in termino comparente, actore vero totaliter se absentante, decrevimus ob contumaciam actoris, que est maior quam rei, ipsum reum causam obtinuisse. Si autem reus parere in termino sibi assignato non curaverit, actore per se vel suum procuratorem comparente, decernimus, quod pro huiusmodi contumacia reus duorum boum pena mulctetur.

27. Licet in pluribus casibus celeritas commendetur, tamen eadem celeritas in iudicijs et causis expediendis racionabiliter quandoque est restringenda, ex eo, quod iudicantem oportet cuncta rimari. Ideoque statuimus, quod si aliquis super capitali hereditaria questione primo, secundo et tercio citatus non comparuerit contu-

maciter in termino sibi assignato, ob contumaciam eius„
dem citati, actor in tercio termino per iudicem decer„
natur et diffiniatur in veram possessionem eiusdem he„
reditatis mittendus, et ab omni iure eiusdem heredi„
tatis et ipsius qualibet vendicacione per iudicis senten„
ciam dictus reus decernatur et pronunciatur cecidisse.
Si autem questio fuerit personalis, puta pro debitis vel
pro quibuslibet rebus obligatis et primo, secundo, tercio
termino citatus contempserit vel neglexerit in termino
sibi assignato parere, decernimus, quod creditor qua„
rumlibet rerum obligatarum post tercium terminum
per sentenciam iudicis distrahendi et alienandi aucto„
ritate iudicis plenam habeat facultatem; ita tamen,
quod si res obligate, distracte et alienate auctoritate
premissa minoris valoris inveniantur et existant
tempore alienacionis, quam fuerit pecunia credita,
et ipse creditor pro summa pecunie per ipsum cre„
dite simpliciter et sine aliqua condicione tamquam
pro dicta summa pecunie receperit sufficientes, si„
bi et non alij idem creditor de sui negligencia de„
bebit imputare. Sed si condicionem creditor appo„
suerit circa res obligatas maioris vel minoris quan„
titatis, si pro minori pecunia res obligatas aliena„
uerit, debitor per iudicem decernatur credite pecu„
nie summam adimplere; si vero pro maiori summa
pecunie res alienauerit obligatas, residuum quic„
quid fuerit ultra summam creditam, debitori credi„
tor restituere teneatur.

28. Preterea, ut calumpnijs via precludatur, statu„
imus, quod si aliquis alias bone fame in iudicium
pro quibuslibet violencijs euocatur, actor teneatur,
quod asserit, comprobare, alias reus tantummodo
proprio iuramento se valeat expurgare.

29. Item si aliqui fuerint eiusdem parochie seu dis„
trictus et de furto quarumlibet rerum aliquis alium
in iudicium voluerit euocare, statuimus, quod in„
fra annum tantummodo inculpatum de furto ha„
beat euocandi facultatem. Si vero anno elapso questio„
nem eandem voluerit movere, quod tunc asserit, ra„
cionabiliter per idoneos testes teneatur comprobare.

30. Finem litibus imponere cupientes, statuimus, ut si aliquis cuius aut creditor pannos aut alias merces alicui terrigene ad prestanciam dederit, aut mutuo concesserit, preter literam obligacionis, in qua constaret de debito, cuius agens pro debito suo, probabit per testes talem contractum initum secum et probans iudicialiter obtinebit. Alias reus negans debitum, per proprium iuramentum prestitum ab inpeticione agentis absoluatur.

31. Nobilitatis stirpes ex progenitoribus earum originem semper ducunt, quarum progressum nati de genologia approbare eorum fideli testimonio consueuerunt. Si quis itaque dicat se nobilem aut illustrem et ceteris nobilibus hoc negantibus asserat se parem, ad probandum sue genologie nobilitatem tenetur inducere sex nobiles viros, de sua stirpe genitos, qui iurati dicant, quod ipse frater sit eorum et de domo ac stirpe ipsorum paterna procreatus.

32. Accepimus, quod Petrus insequendo Iohannem grauiter in platea wlnerauit; quod cum Iohannes in iudicium deduxisset, Petrus licet confiteretur, se Iohannem wlnerasse, tamen asserebat, se hoc fecisse ex inicio ipsius Iohannis, qui ipsum Petrum prius wlnerauit, quod idem Petrus asserebat se probaturum. Nos itaque in tali casu decreuimus, ipsius Iohannis probacionem fore admittendam super eo, quod in platea Petrus, dum ipsum Iohannem insequeretur, wlnerauerit, cum dictus Petrus non vitam defendendo, sed iniuriam sibi alias illatam vlciscendo, Iohannem noscitur wlnerasse.

33. Item Petrus Iohannem traxit ad iudicium, asserens, quod apes vel mellificia ipsius Petri tempore nocturno furtim ad domum suam asportasset, quod offerebat se probaturum. Iohannes vero diffitebatur, se hoc fecisse, sed dicebat proprium suum mel, vt decuit, ad propriam domum deportasse. Tandem Petrus per iudicem pluries interrogatus, si per eos, qui vidissent apes seu mellificia ipsius Petri per Iohannem recipi et ad domum suam deportari, intencionem suam posset probare, Petrus responden-

te, quod tales testes de visu nullo modo posset habere,
nos itaque statuendo decrevimus in tali casu iuramen-
tum Iohanni imponendum, si alias fuerit bone fame,
pro expurgacione asserenti, quod proprium suum mel
deportabat.

34. Preterea Petrus contra Iohannem deposuit cum que-
rela, quod sibi quatuor vulnera intulisset, Iohannes ve-
ro fatetur, se hoc fecisse ex eo, quia armata manu do-
mum ipsius Iohannis invasisset et in eadem invasio-
ne matrem vel sororem, vel uxorem vel filios sibi vulne-
rasset; quod vulnus licet per ministerialem conspec-
tum et visum fuisse obtulit se probaturum, tamen i-
dem ministerialis interrogatus per iudicem, negavit
se predictum vulnus vidisse et conspexisse. Et quia post
negacionem ipsius ministerialis idem Iohannes pre-
dictum vulnus matri sue illatum, per alios idoneos
testes, qui dictum vulnus viderunt et conspexerunt,
offerebat se probaturum, nos in tali et simili casu
decrevimus, eundem Iohannem ad producendum
predictos testes fore admittendum.

35. Querelam Petrus deposuit de Iohanne, quod
ipsum vulnerasset, Iohannes vero constanter astrue-
bat, quod Petrus se ipsum vulnerasset, quod offere-
bat se legitime probaturum. Nos autem in tali casu
credimus distinguendum, quod si in contencione et
discordia Iohannes asserit Petrum se ipsum vulnerasse,
tunc Iohannis probaciones sunt admittende; si autem
extra omnem contencionem et discordiam Petrus fue-
rit vulneratus, tunc, ut est moris, dicimus Petri iu-
ramentum admittendum.

36. Per experienciam didicimus, quod sentencia ex-
communicacionis testibus inducendis maliciose ple-
rumque consuevit opponi, ex qua opposicione pul-
lulabat oppressio veritatis. Unde circa eandem ex-
cepcionem sic duximus statuendum, quod cum a-
liquibus testibus producendis fuerit obiecta excepcio
excommunicacionis, producens testes eorundem abs-
que sue cause vulneracione alios testes, si potest, no-
minandi et producendi plenam et liberam habeat
facultatem. Si vero non poterit, alios testes nominare

vel habere, preterquam eos, quibus obicitur sentencia excommunicacionis, volumus, quod cuius fuerit sentencia excommunicacionis, debito modo, scilicet cum sufficienti caucione iuratoria vel fideiussoria de parendo vel satisfaciendo cum omni reuerencia requiratur et petatur, quod eisdem testibus excommunicatis, ad perhibendum tantummodo testimonium et subveniendum veritati, ne veritas opprimatur, beneficium absolucionis impendat. Quod si excommunicator premisso modo petitus pro testimonio perhibendo, denegauerit beneficium absolucionis, cum huiusmodi postulantes veniam et absolucionem, quantum ad deum, censeantur absoluti, volumus et decernimus, quod extunc absque aliqua cause vlneracione testimonia eorundem testium per iudicem recipiantur et habeant ipsorum testimonia firmitatem.

37. Conradus domum vendicabat a Dominico et ad probandam suam intencionem Conradus sex testes iuxta iudicis mandatum produxit, quorum primus testis fuit Jacobus patruus ipsius Conradi et mediator seu compositor amicabilis alias in eadem causa, quem ipse Dominicus, dum testes secundum consuetudinem nominarentur in iudicio, neglexit reuocare, sibi huiusmodi consanguineitatem opponendo. Demum circa testium iuramentum predictus Dominicus testimonium predicti patrui propter predictam consanguineitatem constanter asseruit non valere et sic dicebat se causam eandem obtenturum. Nos itaque considerantes, quod amicabiles compositores seu mediatores consanguinei esse consueuerunt, declaramus, in tali casu testimonium predicti Jacobi patrui pro Conrado valere.

38. Quum prescripcio propter segniciem et pigriciam dominorum sit instituta, decernimus et statuimus, quod si aliquis credit et reputat, se habere aliquod ius ad aliquam hereditatem, quam aliquis presencialiter possidet, si infra tres annos et tres menses tempore pacis et concordie sustineat et paciatur, ipsum possessorem possidere eandem hereditatem pacifice et quiete, ita, quod sibi, licet presenti, et cuius presenciam siue sufficienciam ha-

fuerit, non moveat aliquam questionem, extunc ab omni iure et vendicacione eiusdem hereditatis censemus eundem cecidisse.

39. Si autem aliquis in obligacione teneat aliquam hereditatem, decernimus, quod idem obligans vel ipso obligatore non existente vel deficiente, quilibet ipsius consanguinitate vel affinitate proximior, coram iudice nostro, si ipsius copiam potest habere, vel saltem in parochia eiusdem hereditatis obligate publice faciat ad minus semel in anno protestacionem vel in colloquio generali, quod dicta hereditas in tanta pecunia, prout est vel fuit in facto, sit obligata. Faciendo huiusmodi protestacionem dictus obligans vel proximior ipsius, ut premissum est, infra triginta annos redimendi vel liberandi predictam hereditatem plenam ac liberam habeat facultatem. Quod si non curaverit vel neglexerit per continuos XV annos dictam facere protestacionem, ab omni iure hereditatis sic obligate senciat se cecidisse.

40. Si vero sit mulier maritata et aliquam hereditatem, quam dicit et credit racione dotis vel quomodolibet ad se pertinere, si infra decem annos non curaverit vel neglexerit pro eadem hereditate questionem intendere, ita, quod infra idem tempus pacis et concordie patiatur possessorem quiete possidere, extunc decernimus, quod eadem mulier ab omni iure eiusdem hereditatis eciam se cognoscat cecidisse.

41. Si autem fuerit vidua et eodem modo dicat et asserat aliquam hereditatem, quam aliquis possidet, racione dotis vel quolibet alio iure ad se pertinere et infra sex annos tempore pacis et concordie sustinuerit et passa fuerit eundem possessorem ipsam hereditatem quiete possidere, decernimus, quod extunc ipsi possessori racione prescripcionis in eadem hereditate plenum ius sit acquisitum et mulier senciat se ab omni iure cecidisse. Volumus autem et declaramus, quod premisse prescripciones tempore pacis et concordie vendicent sibi locum; tempore autem guerrarum sive discordiarum nullatenus sibi locum debeant vendicare, sed tunc oportebit de salubri remedio eisdem providere.

ineta discordiarum et guerrarum qualitatem; sicut et captiuus per Tartaros nullam volumus currere prescripcionem.

42. Franciscus deposuit querelam contra Gregorium, quod in ipsius hereditate posuit sepes, et intra illas sepes omnes fructus, quos fecit et facere poterat, percepit. Gregorius autem respondit, quod idem Franciscus in eadem villa die ac nocte est et fuit insimul cum ipso Gregorio per duos annos et tacuit, nec ipsum unquam ammonuit unico verbo pro sepibus predictis. Nos itaque attendentes desidiam seu pigriciam ipsius Francisci, declaramus in hoc casu ipsi Francisco duorum annorum obstare prescripcionem.

43. Franciscus neptem suam Luciam, constitutam in etate infantili orphanam, cum bonis centum marcas valentibus, tenendam et seruandam in suam curam recepit, tempore vero procedente, ipsam, dum adhuc esset minor annis, de viginti dumtaxat marcis maritauit. Deinde stando cum marito post quatuor annos eadem Lucia pro bonis residuis restantibus ultra predictas viginti marcas, Francisco suo avunculo mouet questionem; Franciscus autem respondit, quod longo tempore post contractum matrimonium, per quatuor annos nunquam fuit ammonitus pro bonis vel pro rebus predictis. Nos itaque talibus casibus prouidere volentes, declaramus et statuimus, quod predicta Lucia, postquam cum marito steterit per tres annos et tres menses, infra eosdem ad causam non prouocando, siue fuerit minor annis siue maior, de cetero non poterit nec debebit agere pro quibuscumque bonis vel rebus residuis, obstante sibi trium annorum et trium mensium taciturnitate et prescripcione.

44. Franciscus vendidit Gregorio hereditatem pro centum marcis, pro qua Gregorius statim XL marcas exsoluit, residuam pecuniam in certis terminis promittens se soluturum, et sic idem Gregorius per quatuor annos pacifice et quiete, non facta totali solucione tenuit et possedit predictam hereditatem. Demum prope finem quarti anni, idem Gregorius emptor reliquam pecuniam offert se daturum et soluturum Francisco venditori; Franciscus vero nititur et querit

quod possit rescindere eandem vendicionem, cum per tantum tempus non fuerit sibi totalis solucio facta. Quapropter nos declaramus et statuimus, propter quietam et pacificam possessionem habitam per tres annos et tres menses, predictam vendicionem perpetuam habere firmitatem, obstante tanti temporis taciturnitate et prescripcione.

45. Franciscus Gregorio mutuavit viginti mensuras tritici, quas pluries monitus, non restituit; Gregorius autem quesivit ab ipso Francisco, quando sibi predictum triticum mutuasset? Respondit, quatuor annos fuisse elapsos. Nos ipsi Francisco imposuimus silencium propter tanti temporis decursum.

46. Licet pro redimenda pauperum vexacione dudum solucio dicta vulgariter brescrne, que consueverat iudici presidenti seu diffinienti aliquam causam applicari, fuerit sublata et extincta, tamen eadem solucio exquisito colore sub alio nomine, quod dicitur pamyanthne, dinoscitur esse innovata, que videtur transcendere predictam solucionem. Vnde circa hoc modum imponere cupientes, decernimus, quod in causis hereditarijs vel non hereditarijs, attamen magnis, iudex pretextu dicte solucionis pamyanthne vltra quatuor grossos exigere et recipere non presumat, in minoribus vero causis tantummodo duos grossos exigendi habeat facultatem.

47. Quamuis negocia mortua et finita quasi contra naturam difficile sit retractare, tamen reperiuntur nonnulli, qui coloribus exquisitis mortua et finita negocia moliuntur refricare, videlicet in hoc, quod licet aliqui fratres vel sorores cum fratre sint abinuicem in bonis paternis separati et diuisi, tamen, si contingat, quod aliquis eorumdem fratrum in questione hereditaria accipiat contra se senteciam diffinitiuam, postmodum alter ipsorum accedens ad presenciam iudicis allegat, se contemptum et ad eandem questionem, tamquam illum, cuius intererat, non vocatum, postulans ex hoc, debere eandem senteciam retractari; et sic huiusmodi sentencia per talem peticionem consueuit retractari. Vnde nos volentes, quod in huiusmodi litibus certus finis habeatur, statuimus

quod ubi fratres vel soror cum fratre fuerint ab invicem in bonis paternis divisi et separati, si contingat unum ipsorum in hereditaria questione contra se diffinitivam sentenciam reportare, alteri ipsorum postmodum penitus interdicta sit potestas infirmandi seu arguendi sentenciam eandem, sed pro parte hereditatis dumtaxat ipsum contingente, movendi questionem plenam habeat facultatem. Si vero huiusmodi fratres vel frater cum sorore non fuerint in bonis paternis abinvicem divisi et separati, si sint quoad annos legitime etatis et habentes plenam discrecionem, volumus, quod in hereditate, pro qua questio agitatur vel ventilari speratur, per ministerialem, ut in alia constitucione docetur, trinum citacionis edictum publice proponatur, citando, quod si sit aliquis, qui habeat vel possit habere aliquod ius in dicta hereditate vel ad hereditatem, aut sua quomodolibet intersit, die protunc assignata veniat et compareat, ius suum ostensurus et defensurus. Alias si post talem citacionem eo, cuius intererat, non comparente, diffinitiva sentencia super eadem hereditate proferatur, cuilibet postmodum venienti et volenti eandem sentenciam arguere et refricare seu innovare, sit interdicta potestas, sed ipsam sentenciam decernimus perpetuum habere vigorem.

48. Nagod villanus deposuit querelam contra suos vicinos villanos, quod cum equus tempore nocturno fuisset sibi subtractus, idem Nagod cum instancia requisivit et pecijt eosdem suos vicinos villanos, ut per vestigia eundem furem pro eodem equo rehabendo insequi ipsum adiuvarent; villani vero furem insequi recusarunt et ita Nagod predictum equum amisit. Nos itaque in tali casu declaramus, predictos villanos ad solvendum equum predicto Nagod condempnandos.

49. Petrus conquestus est de Iohanne, quod ipsum quatuor digitis in manu gladio mutilasset, quod Iohannes se fecisse negavit. Et quia idem Petrus pro eadem mutilacione post annum elapsum satisfaccionem habere petebat, nos itaque in tali casu eundem Petrum mettercium pronunciamus iuraturum, quod predictam mutilacionem quatuor digitorum habuit a Iohanne.

50. Petrus agebat contra Iohannem iudicem, quod

in causa, quam coram ipso habuit, iniustam et iniquam sen-
tenciam contra ipsum promulgavit, a qua sentencia, quam
ipsam tulit, eundem iudicem non provocavit vlganter ne-
nagavit. Nos itaque huiusmodi senteciam iudicis, que non
fuit aliqua provocacione suspensa, [illegible]
declaramus transiuisse in rem iudicatam predictum fra-
trum ad penam debitam condempnantes, alias pro iudici-
bus expressam.

51. Falco pro hereditate agebat contra Henricum, Hen-
ricus autem opposita longi temporis prescripcione, ipsam
prescripcionem, vt debuit, probavit; iudex autem ipsum
Henricum absolvit ab eadem impeticione, silencium Fal-
coni imponendo. Post hoc veniens Nicolaus iunior fra-
ter Falconis, refricat et innovat eandem questionem. Nos
itaque finem litibus imponere cupientes, declaramus,
eundem Nicolaum fratrem iuniorem predicti Falconis
non esse audiendum, et senteciam iudicis dicimus trans-
iuisse in rem iudicatam.

52. Franciscus, Falco et Henricus, tres fratres haben-
tes vnum molendinatorem, Henricus tercius frater, pro qui-
busdam ipsius molendinatoris excessibus, coram iudice
dato vel electo debito modo ipsum molendinatorem iu-
dicare precepit. Demum Falco alter frater veniens, con-
queritur de Henrico, quod ipsius molendinatorem iudi-
casset et condempnasset. Nos itaque attendentes, quod
licet cuilibet de iure prosequi suam iniuriam, declara-
mus predictum Henricum iuste et bene iudicasse.

53. Abusiua consuetudine noscitur esse obseruatum,
quod cum aliqui emptores de hac vita absque prole de-
cedunt, ipsorum omnia bona mobilia et immobilia
nomine fiscine eorundem consueuerunt occupari. Vnde
nos eandem abusiuam consuetudinem reprobantes, sta-
tuimus, quod de bonis eorundem decedencium, si tan-
tum reperiatur in eisdem, calix pro marca cum di-
midia dandus ecclesie parochiali comparetur, reli-
qua vero bona ad proximiores consanguineos vel affi-
nes cessante quolibet impedimento deuoluantur.

54. Nicolaus deposuit querelam de Mathia, quod
licet equum suum sibi commodasset seu concessisset,

ad certam viam tamquam amico, tamen idem Mathias eundem equum sibi restituit claudicantem. Mathias vero respondit bona fide equum eundem tamquam proprium se equitasse et servasse, nec sciret, unde sibi veniret eadem lesura. Nos autem declaramus in tali casu: predictum equum infra duas septimanas quiete absque aliquo labore per eundem Mathiam observandum; qui equus si infra predictum tempus non convaluerit, extunc pro eodem equo, prout poterit, amicabiliter componere teneatur.

55. Licet antiquitus fuerit observatum, quod kmeto alium kmetonem occidendo, solutis tribus marcis grossorum, a pena homicidij liberabatur, tamen quia huiusmodi pena non sufficiebat ad debitam coercionem, unde nos statuimus, quod kmeto occidens kmetonem pro pena homicidij castellanie, in qua homicidium commissum fuerit, vel eius cui ius pertinuerit, quatuor marcas persolvat, consanguineis vero sive amicis proximioribus sex marcas decernimus persolvendas. Qui homicida si non fuerit in solvendo, captus pena capitali puniatur.

56. Item si plures, puta tres vel quatuor de homicidio alicuius accusentur, licet antiquitus per iuramentum accusatoris omnes pena homicidij puniebantur, nos tamen huiusmodi iuramentum restringentes, statuimus, quod unus tantummodo per iuramentum actoris de homicidio condempnetur et puniatur, consortes vero eiusdem accusati per probos et idoneos testes de homicidio et vulneribus se teneantur expurgare, alias deficientes in expurgacione puniantur.

57. Item quacumque morte casuali et inopinata contingat aliquem de hac luce migrare, puta de arbore cadendo, vel in aqua submergendo, aut alio quovismodo statuimus, quod pro tali homine sic decedente nulla questio penitus moveatur. Item dum ignoratur, quis commisit homicidium, decernimus, quod castellanus de hoc non moveat aliquam questionem sed consanguinei et proximiores culpabilem inquirentes, causam, dum poterint, prosequantur iuxta iuris formam.

58. Vt violentorum audacia refrenetur, statuimus, quod dum miles parem sibi militem occiderit, pro capite LX, pro mutilacione cuiuslibet membri XXX, et pro simplici vulnere XV marcas solvere teneatur.

59. Laurencius conqueritur de Martino, quod sibi matrem interfecit. Martinus respondit, quod Laurencius non fuit de legitimo matrimonio siue thoro procreatus, ex eo, quod asserebat, ipsum esse filium mulieris vagabunde. Nos in tali et simili casu dicimus, caput matris exsoluendum seu obtinendum.

60. Sunt nonnulli, qui per indiscrecionem victum longi temporis breui hora consumentes, assumunt sibi extra propria occasionem diuagandi et taliter diuagantes, aliena rapere non formidant. Vt igitur tales a qualibet occasione diuagandi saltem formidine pene retrahantur, statuimus, quod taliter diuagantes re rapinas committentes, quibuslibet eorum bonis, que habent, ipso facto sint priuati. Et si contigerit huiusmodi fugitiuos et diuagantes nostre gracie reconciliari, volumus nihilominus, quod inter suos pares vt infames habeantur.

61. Consuetudine iniquissima ministerialium obseruatum extitit, quod dum ad aliquem in via occisum vocabantur, ipsum vestibus, in quibus fuerat occisus, iure ipsorum, quod ipsi nominant Urwane, exspoliabant. Vnde cum afflictis non sit addenda afflictio, eisdem ministerialibus prohibemus de cetero quoslibet occisos spoliare seu exuere, sed tantummodo vnico grosso contententur, quem decernimus eis dandum pro labore per eum, qui ad aliquem occisum procurauerit eos euocari, donec de eodem homicidio questio totaliter fuerit diffinita.

62. Vt quilibet alium indempnem vigilet conseruare, si aliquis alterius semina iumentis vel quibuslibet pecoribus maioribus depascat, statuimus, quod pro quolibet iumento vel pecore vnam quartam denariorum passo dampnum is, cuius fuerint iumenta vel pecora, soluere teneatur.

63. Ad euitandum autem quamlibet altercacionem

decrevimus, quod ad proximiorem castellanie curiam cuius fuerit regalis sive cuiuscumque iudicis eadem iumenta passus dampnum depellendi habeat facultatem, ita tamen, quod sub testimonio vicinorum in propria domo passi dampnum iumentis sive pecoribus per noctem servatis, in crastino ad proximiorem curiam castellanie depellere teneatur iumenta vel pecora predicta.

64. Cum actor forum rei undique sequi debeat, voluimus, ut si quis in iudicio iuris Teutonici contra reum suam accionem dirigit aut proponit, reus actorem ibidem super alia questione simili vel inequali reconvenire non poterit, sed suam litem aut causam coram iudice competenti, cum voluerit, agitabit.

65. Ex lege imperiali clara luce nobis constat, quomodo incendiarij et exustores voluntarij domorum, horreorum aut quorumvis bonorum morte crudeli et impiissima puniantur, quibus eciam inventis, si ad ecclesiam fugiant, patrocinium nullum ex hoc debeant obtinere, propter dampnati criminis sevitatem. Consueverunt tales omnes, ut manus effugiant iusticie ipsos punire volencium, ut plurimum in civitatibus vel villis teutonicalibus permanere, ut accionem propositam contra eos eludant per iuris Teutonici defensionem, et sic sepius talium maleficiorum crimina remanent impunita. Unde de nostrorum baronum bando consilio statuimus, ut accusati de crimine incendij sive exustionis, eciam inventi in civitatibus aut villis Teutonicalibus extra forum ipsorum trahantur et in iure Polonico tamen coram iudice competenti tenebuntur respondere, sentenciari et puniri pena digna debebunt, iuxta exigenciam criminis et eius probacionem.

66. Re vera non solum a malo, sed ab omni specie mali quemlibet viventem sub lege necessarium est abstinere, per quam refrenatur malorum audacia, ut iustorum innocencia tuta consistat. Sane quidam ad feditatem corpus suum, ut plurimum, protrahentes, et latrunam vitam gerentes, deum non timentes nec temporalem penam formidantes, virgines stuprant, mulieres polluunt violenter; et quando impetuntur ab eis in recenti, iure Teutonico volunt se tueri, ut facilius

eludant commissi criminis accionem. Visum extitit nostris nobilibus in colloquio generali, quod et nos decrevimus perpetuo observandum, ut tales oppressores virginum aut mulierum, si proclamaverint in recenti, iure Polonico coram iudice competenti teneantur respondere et puniri, iuxta commissi criminis qualitatem.

67. Quum secundum patrum sanctorum decreta, lex decernat illos amittere privilegij auctoritatem, qui non utuntur in eo concessa sibi potestate, plures sunt nostri milites ius teutonicum habentes in multis ipsorum villis ex nostra et nostrorum predecessorum gracia eis facta, et tamen iure teutonico obmisso, tantum secundum ius polonicum se regunt in quibusdam. Statuimus, quod si in aliqua villa abusi sunt iure Teutonico, amplius per ius Teutonicum contra agentes non poterint se defensare. Propter quod volumus, quod ubi crimen est commissum, illo iure, quo illa villa tunc usa fuerit, debebit iudicari sive terminari.

68. Statuimus, quod dum aliquis contra suum privilegium in qualicumque causa citatur, et exhibendo suum privilegium in iudicio amittit sexagenam, si ipse actor citans per iudicem iussus renuerit iurare, se nesciuisse reum fuisse privilegiatum et privilegium habuisse, tenebitur restituere idem actor eandem sexagenam. Secus esse volumus, si iuraverit, se nesciuisse reum fuisse privilegiatum.

69. Cum ex separacione subditorum bona dominorum sepius desertantur nulla causa legitima ad hoc persuadente, visum fuit nostris baronibus huic periculo non segniter obviare. Propter quod nostra voluntate est institutum, ut non plures kmethones aut incole de una villa insimul possint ad aliam villam recedere, nisi unus vel duo, preter domini illius ville, in qua degunt, voluntatem, nisi in casibus his exceptis, ut si dominus ville opprimat filiam aut uxorem sui kmethonis, aut pro excessu sive culpa heredis ibidem villani bonis ipsorum depredentur; vel in sentenciam excommunicacionis per annum durent sui domini ex delicto. In talibus casibus non tantum tres vel quatuor eiusdem ville incole abire

possunt, sed omnes inhabitantes ibidem recedant, quo placebit.

70. Similiter infantibus ad duodecim annos educatis, si tempore infancie per quemuispiam iniuria fuerit illata aut patri ipsorum tunc mortuo, possunt illatam violenciam agitare, pro qua agere non valebant propter defectum etatis contra ipsos impedientes seu iniuriantes. Et excepcio prescripcionis eis opponi non poterit, nisi cum legitima etate in eis completa, infra tempus debitum agere negligerent pro iniurijs olim eis illatis, tunc obstabit eis excepcio prescripcionis propter negligenciam allegatam.

71. Vt viri famosi et iuste iurantes aliqua speciali prerogatiua apud nos inter ceteros nostros fideles consolentur, statuimus de nostrorum baronum voluntate, vt si quis miles aut alius vir nobilis, cui aliqua questio furti numquam in iudicio mota fuit, de crimine furti aut latrocinij accusetur, fas sibi sit propter bonam presumpcionem habitam de ipso apud vicinos, per proprij iuramenti protestacionem a tali accusacione se purgare.

72. Egidius deposuit cum querela, quod cum in via obdormiuisset, Falco superueniens taliter dormienti recepit gladium et peram, in qua fuerunt tres scoti grossorum; et quamuis gladium et peram sibi restituisset, tamen tres scotos non restituit, ipsos pro se vsurpando; Falco vero reus, quamuis de pera et gladio confitetur, et se eadem restituisse fatetur, tamen predictos tres scotos diffitebatur. Vnde nos attendentes, quod nullus debet res alienas attrectare domino inuito nec rogatus, predictum Egidium in simili casu decernimus fore admittendum ad iuramentum.

73. Item Egidius conquestus est, quod canis Falconis ex incitacione seu impulsione ipsius Falconis taliter eum lesit et momordit, quod ex illo morsu vrtendebat et asserebat se claudicare; Falco vero eandem impulsionem seu incitacionem canis diffitebatur. Et quia Egidius actor hoc non poterat probare, nos in tali casu declaramus, quod Falco per iuramentum proprium debet se expurgare.

74. Querelam deposuit Egidius contra Falconem, quod cum in domo ipsius Egidii facta fuisset in vespere contencio, ipse Falco superueniens candelam extinxit, qua extincta Egidius nescit nec scire potest, per quem in illa contencione fuerit wlneratus. Falco vero licet extinccionem candele confiteretur, tamen ipsum Egidium se wlnerasse diffitebatur. Nos itaque a predicto Egidio actore iuramento recepto, quod in predicta extinccione candele nescit, per quem wlneratus fuerit, predictum Falconem, quia candelam extinguendo wlneri prestitit occasionem, in wlnere duximus condempnandum.

75. Preterea de villanorum pastore deposuit Egidius, quod ouem ad gregem impulsam et custodie pastoris commissam, de grege non rehabuit iterato ouem eandem; pastor vero asserebat, se eandem ouem vna cum alijs ad villam reduxisse. Nos itaque in tali casu et simili pastorem decreuimus iurare, quod ouem ad villam reduxisset.

76. Vt noxius ludus taxillorum abiciatur, per quem sepe iusti patres propter filiorum excessum de bonis pelluntur et deducuntur absque demeritis ipsorum ad nimiam paupertatem, statuimus, vt si alicuius filius, vtroque parente sanis existentibus, deluserit alicuius peccunie quantitatem, predicti ludentis parentes non tenebuntur ipsi victori pro ipsorum filio ad alicuius pecunie deluse satisfaccionem. Idem dicimus de Iudeis, si mutuarent peccuniam tali filio exstantibus parentibus adhuc sanis, concessio facta non valeat, nec ad satisfaccionem aliquam Iudeis dicti parentes compellentur. Sic eciam dicimus de omni contractu inito cum filiofamilias, quod non valet, cum sit in paterna potestate constitutus, propter quod non habet alicuius dominium rei vel aliquam possessionis tradicionem.

77. Ad precludendam lusoribus taxillorum malicie subtilitatem, qui conuenerint inebriatos aut ad prouocacionem ire deductos, nouercante ipsis taxillorum ludi fortuna, super prestanciam seu credenciam de pecunijs, equis et quandoque de hereditatibus cribrare, expoliare et dampnose ammonere; qui sic delusi et ad inopiam deducti, vt plurimum ad vicia deteriora labuntur, propter que vlcio iudicialis ius-

ta ipsorum demerita a nobis consueuit in talibus exerce-
ri, et ad hoc malum vitandum et quod nostri nobiles
rebus abundantes, strenuitate dediti pro defensione re-
gni forcius inuigilent, decernimus, vt deinceps nullus
terrigena noster cum alienigena cuiuscumque status
aut condicionis existat, in nostro regno ludat taxillos
ad prestanciam, sed tantummodo pecunia pro parata.
Quod si quispiam contra hoc statutum venerit temera-
rie, ipso iure non valeat euiccio, nec ad aliquam so-
lucionem seu ad satisfaccionem victus victori tenebi-
tur, nec fideiussor datus ipsi vincenti poterit de debi-
to ammoneri. Si quis vero spernens hoc statutum pro
pecunia sic euicta acriter monuerit suum debitorem
cum verbis turpibus vel eius fideiussorem, quociens-
cumque maledixerit vel improperauerit pro debito pre-
libato, tociens illi pro sua verecundia penam pyancz-
nadrescza que dicitur, soluat, et nostro iudicio nichi-
lominus aliam similem penam pro inobediencia assi-
gnabit.

78. Expedit reipublice, vt subditi in quiete viuant
et quod nulli noceant et in virtutibus conualescant. Qui-
dam preterientes ista veluti legis transgressores cum per
terras proprias pergunt ad expedicionem, quasi hostes
se mouentes infinita damna pauperibus eciam plura,
quam hostibus irrogare non obmittunt, per que terre
nostre maxime deuastantur. Volentes itaque huic pericu-
lo de remedio opportuno prouidere, statuimus, vt quocies-
cumque ad expedicionem per terras nostras fit progressio,
nullus stacionem faciat in villa sed in campo, nec ra-
pinas in equis, pecudibus, pecoribus aut in alijs rebus
committat, sed solum pabulum moderate tamen recipiat
pro suis equis et staciones faciat de lignis in sibus, gajs
aut rubetis incisis et receptis, vt ex hoc edificia villarum
intacta consistant. Si quis veluti temerarius huius sta-
tuti violator contrarium fecerit, domino illius ville aut
cui dampnum est illatum, dampna resarciat, iusta su-
um sacramentum super ablatis prestitum, cum pena
pyanczuadrescza dicta, ad hoc apposita, et nichilomi-
nus alia similis pena in violacionem statuti pro nobis
cedet.

79. Ex communi vsu in regno nostro obseruatur

quod moriente matre bonorum omnium pueri a patre ipsorum tollunt medietatem, propter quod contigit sepe, filios etate iuuenili eis in parte amittere bona tenuta a patre et amodo propter ingratitudinem factam patri, patrem non succurere filijs ad inopiam vergentibus, et sic ex tali diuisione pars vtraque sentit incommodum et reportat. Visum extitit nobis et nostre milicie, vt matre moriente filij non petant bonorum obuencionum ex linea paterna aliquam a patre porcionem, antequam ad secundas nupcias conuolabit, nisi tunc velut fame sue prodi, qus bona et hereditates illas communes indebite dissiparet.

80. Sepius contingit, vt quidam de militali prosapia procedentes, velut prodigi honoris et fame ipsorum, furta seu latrocinia committentes, sunt profugi nostri regni sponlanea voluntate ipsorum, et sic occasionem habentes, plura mala committere non formidant, pro quibus incidunt in iram nostre indignacionis. Tandem de commissis furtis et ceteris actibus malis penitencia ducti, amicorum suorum intercessione mediante nostram clemenciam implorare consueuerunt et sic nostre gracie de nouo restaurantur. Volumus, quod licet nostra ira sit dimissa eis et pena, nihilominus pro furtis et damnis viris iustis illatis tenebuntur iudicialiter respondere et satisfacere, iusta sentencie diffinicionem per iudicem deputatum non obstante qualibet diuturnitate. Et infamem talem reputamus, neque alijs nobilibus, qui nunquam profugi extiterunt, in fama et sublimitate honoris poterit adequari. Similiter illum dicimus infamem, qui occulte insidiando habitatoribus nostri regni, fures et profugos seruat et partitur cum eis rapta et male conquisita. Tales non possunt dicere se probos, cum impares probis viris reputentur.

81. Cum in vsurarum voragine sit insaciabilis appetitus, extorsioni peccuniarum terminum non imponens, proinde statuit nostrorum baronum auctoritas, vt Iudei fidei nostre veri inimici, Christianis peccunias ipsorum mutuantes, non plus pro qualibet septimana exigere habeant, nisi tantum vnam quartam cum graciarum accione. Et si Iudei, qui per nouas decepciones ad literam obligacionis mutu-

ant pecunias, sustinuerint infra duos annos suum debi-
torem pro vsura accrescente et pro principali debito ad iu-
dicium non prouocantes, extunc ipso facto vsuram accres-
centem vlterius post duos annos amittere debent, et tan-
tum de principali sorte et de vsura iam aucta infra pre-
dictum tempus sint contenti, neque per eandem literam
obligacionis poterint obligantem effectualiter ammone-
re, nec obligatus stare, tenere vel obseruare ipsis tene-
tur suam obligacionem vel promissum.

82. Quidam de ipsorum audacia multum presumen-
tes, intrantes siluam vel gaium alicuius preter domi-
ni voluntatem, quercus excidunt meliores, nullam
penam sequi ex hoc pretendentes. Statuimus, vt si quis
inciderit quercum in bonis alienis domino inuito, va-
lentem ad axem, aut de minoribus quercubus vel alys
lignaminibus currum repleuerit, penam, que dicitur
szese grziwen illi soluat, in cuius dominio sunt
incisa.

83. Et licet canonica sanccio depopulaciones agro-
rum multum odio habeat, tamen temerarios a malo
non reuocat, nisi addatur torques in colla ipsorum
et temporali disciplina impy puniantur. Propter
quod statuimus, vt si alicuius militis, prelati, cuius
aut alterius hominis simplicis familiares frumenta
de nocte kmethonum vel quorumcunque receperint,
licitum sit domino frument aut suis seruis vel amicis
ipsa defensare, equos recipiencium vel alias res libere
pro se tollere. Et si quempiam tunc occiderit, impu-
nite volumus ipsum pertransire; dominum vero il-
lum, de cuius domo exiuerint tales depopulaciones,
in pena nobis pyanczuddzescza decernimus incidis-
se. Et si vulnerarent aut occiderent frumentorum
defensorem, soluant vulnera lesis vel caput pueris
vel amicis cum penis prenotatis.

84. Quoniam omnis scurrilitas verborum et turpi-
loquium ad rixas homines prouocantes apud virtuosos
debent non immerito puttari, atque non aliter nisi
metu pene quandoque aliqui a talibus prohibentur,
vnde volumus, vt quispiam linguam suam non re-
frenans, si nobilis nobili improperauerit, asserens

ipsum filium meretricis et statim non reuocat aut non negat, quod dixit, neque probat eum esse talem, prout ipsum asseruit, pro vituperio illius, quem sic vituperauit, racione pene soluat LX marcas grossorum, veluti si ipsum occidisset.

85. Idem dicimus, si matrem eius meretricem nominauit et non reuocauit nec probauit, quod asseruit, in similem penam ipsum decreuimus incidisse. Reuocando autem debet dicere, id quod sum locutus, sum mentitus sicut canis.

86. In percussionibus militum et aliorum nostrorum subditorum istum modum in penis exigendis volumus obseruari. Si miles militi aut nobili nobili plagam dederit absque sanguinis effusione, nobili, cui illata est talis percussio, pena, que dicitur pyancznadzescza per inferentem debet assignari. Si autem illi inferatur, qui non habet ius militare, tunc marca grossorum pro tali vulnere, kmethoni vero pena szesc grzywen per percucientem debet solui.

87. Vt penarum distinccio et legitima diuisio habeatur, quod si kmetho vulneratur cum sanguinis effusione aut percutitur enormiter, de omnibus penis pro vulneribus aut percussionibus sentenciatis, duas partes leso, terciam autem iudicio, vbi causa agitatur, assignari demandamus.

88. Et licet lex tam noui, quam veteris testamenti fratricidium et alia seua crimina grauiter puniat seu damnet, tamen quidam velut hostes proprij sanguinis et honoris, legis penam minus formidantes, fratricidium committunt, sororem vel proximum occidunt, vt ex eius morte bona hereditaria lucrentur. Volumus itaque, vt vnde lucra habere cupierunt, inde damnis affligantur et puniantur, in quo peccauerunt; omnes regnicole et nobiles regni nostri, fratres, sorores aut proprios consanguineos interimentes, non habentes proles vel habentes, in hereditaria successione nullum accessum obtinebunt. Quin imo et sentenciamus ipsos et ipsorum filios priuamus omni legitima ha-

-redilatibus alij consanguinei licet remociores in linea, obtinerent successionem. Quos in aggrauacionem culpe ipsorum propter inhumanitatem criminis, omnes fratricidas et patricidas infames pronunciamus et inhabiles ad aliquos honores promouendos.

89. Statuimus et decernimus, quod si alique plantaciones iam inserte et radicate euellantur et extirpentur, eciamsi fuerint proprie ipsius extirpantis, medietatem earundem plantacionum dimittere in solo siue in area sub pena sex marcarum teneatur.

90. Item si quis violenter mantellum suum vel quamlibet aliam rem propriam auctoritate propria vicino vel cuicumque receperit, iure non repetendo, ipsum mantellum vel quamlibet aliam rem cum pena sex marcarum restituere teneatur.

91. [Item] aliquis excolens et seminans agros alterius violenter, semine eorundem agrorum careat cum pena pyanczuadrescza.

92. [Item] cum alicui quatuor boues violenter fuerint recepti et de huiusmodi violencia fecerit protestacionem, volumus, quod pro huiusmodi negligencia boum et laborum pro qualibet septimana quatuor scotos dampnum et iniuriam passo cum pena XV et iudicio alia XV pro pena satisfacere teneatur.

93. Item pro curru feni violenter recepto tres grossos cum pena XV eidem iniuriam et dampnum passo et iudicio XV satisfacere teneatur.

94. Item pro vna copa cuiuscumque grani in die recepta, pena iudicio sex marcarum et passo dampnum XV. Si autem tempore nocturno recipiatur, decernimus esse furtum.

Item pro copa estiualium vel hiemalium decernimus, in mensura dum recipitur ad currum, violenciam, dum in ponderibus, furtum esse declaramus, id ipsum ad recepcionem feni extendentes.

Item famulus, qui dicitur golomanka, si vicino domini sui fecerit aliquod dampnum vel iniuriam

Item famulus, qui dicitur golomanka, si vicino domini sui fecerit aliquod dampnum vel iniuriam, dominus ipsius pro ipso satisfacere tenetur.

Item cum pauper homo divitem pro violencia citat, prius de violencia per testes habet et debet se expurgare aliar iuxta violencie qualitatem debita pena est mulctandus.

95. Cum aliquis arguit seu provocat sentenciam castellani Cracouiensis, quod wlgariter dicitur narzecze vel nagani, pelles ermelinas, castellanis autem Sandomiriensi et Lublinensi pelles mustellinas, cuilibet palatino pelles mustellinas, iudicibus Cracouiensi et Sandomiriensi pelles mardurinas, subiudicibus pelles wlpinas, subcamerarijs per sex marcas, camerarijs istorum omnium per sex scotos, iudicibus castellanorum per mediam marcam, cuilibet notario terrestri pelles wlpinas, alijs castellanis Sandomiriensi et Lublinensi exceptis, per sex marcas absque omni contradiccione et antequam ad aliam audienciam admittatur, dare et satisfacere teneatur.

96. Filius nondum emancipatus, in paterna constitutus potestate, nec a fratribus divisus vel separatus, si globisando vel tesserisando vel quemlibet alium ludum dampnosum ludendo aut exercendo aliquid perdiderit, talia omnia et singula per ipsum deperdita volumus et decernimus, quod in ipsius partem seu sortem computentur. Nihilominus decernentes; quod sive in taxillis, sive in scacis vel alea, aut in quibuslibet alijs ludis lucrosis ipsis ludentibus, ad pecunias, equos vel alias quaslibet res lucratas seu in huiusmodi ludis acquisitas, monendi, petendi, requirendi seu vendicandi non obstante qualibet fideiussoria caucione seu obligacione penitus nullum ius ex predictis ludis sit acquisitum, sed duntaxat quoslibet ludos haberi concedimus et volumus gracia temporis deducendi et causa solacij et exercicij habendi.

97. Militi pro vna plaga vel pluribus a kmethone factis, XV. pena percusso et iudicio XV. Si vero fuerit cum baculo et cruenta, sicut pro wlnere gladiali declaramus satisfaciendum. Militi vero famoso slachczye, sexaginta marcas, scartabello triginta marcas, militi

creato de sculteto vel kmethone, quindecim marcas pro capite, item militi slachcyce pro vulnere decem marcas, scartabello quinque marcas, sculteto vel kmethoni factis militibus, tres marcas pro vulneribus statuimus persolvendas.

98. Bartoldus deposuit querelam contra Andream, quod pratum ipsius falcauit, Andreas autem licet sit confessus predictum pratum se falcasse, tamen adiecit, quod idem pratum vlodarius Bartoldi pro certa pecunia falcandum sibi vendidisset, et pro eodem prato pecuniam idem vlodarius ab ipso recepisset, quem tamen mortuum esse asserebat. Nos autem considerantes confessionem ipsius Andree et eciam mortem ipsius vlodarij in tali casu indiximus eidem Andree probare prati vendicionem et empcionem.

99. Item Bartoldus contra Andream deposuit, quod ipsum vulnerasset, Andreas confessus est, ipsum Bartoldum vulnerasse, dicens, quod hoc fecit nolens in ludo et solaciando, tamquam socius et amicus cum amico. Nos audita ipsius Andree confessione, attendentes, quod ludus non debet se extendere ad aliquam lesionem seu offensam, ipsum Andream in tali casu decreuimus, Bartoldo ad vulneris satisfaccionem condempnandum.

100. Nicolaus Mathie mutuauit decem marcas, pro quibus Laurencium sibi dedit fideiussorem; et post aliquot dies idem Mathias debitor ipsi Nicolao creditori in absencia Laurencij fideiussoris eandem pecuniam persoluit ut debebat. Tempore vero procedente predictus Nicolaus creditor Laurencium fideiussorem pro predicta pecunia traxit ad iudicium. Et quia idem fideiussor in iudicio constitutus asserebat, predictam peccuniam per prefatum Mathiam debitorem principalem fuisse persolutam, nos in tali casu decreuimus probandum, factam fuisse solucionem.

101. Statuimus, quod marito mortuo vxor circa donacionem et dotem et quelibet parapphernalia in pecunijs, gemmis, lapidibus et vestibus superexstantibus debeat remanere; ipsa autem mortua ad pueros

si ipsos habuerit, predicta omnia devolvantur. Que mulier habendo pueros, si alium virum receperit vel recipere voluerit, decernimus, quod tantummodo ad eosdem pueros omnia bona paternalia integraliter cum alia medietate quorumlibet bonorum maternalium, in quibuscumque rebus consistant, absque aliqua contradiccione devolvantur, et cum alia residua suorum bonorum medietate maritum accipiat iuxta suam voluntatem.

102. Item statuimus, dum aliqua domicella maritatur, dos seu donacio in pecunia parata sufficiat, que in presencia amicorum assignetur; bona vero hereditaria coram regia maiestate debent assignari.

103. Martinus conqueritur de Nicolao, quod die forensi in via publica de pera recepit sibi octo scotos violenter, Nicolaus vero respondit, quod indebite ipsum calumniaretur, nec eandem peccuniam amisisset, nec sibi recepta fuisset, volens cum sex testibus de hoc se expurgare. Nos itaque in tali casu decrevimus, cum duodecim testibus et non paucioribus fieri huiusmodi expurgacionem.

104. Item Martinus deposuit contra Nicolaum, quod dum agros proprios coluisset, bursa eidem cecidit, in qua fuerunt VI scoti; Nicolaus vero superveniens invenit bursam eandem cum eisdem VI scotis et cor monitus restituere non curavit. Nicolaus autem negavit, se predictam bursam invenisse vel peccuniam habuisse. Nos itaque in tali casu indicimus eidem Nicolao per proprium iuramentum se expurgare, quod non invenit nec habuit peccuniam eandem.

105. Statuimus, quod pro qualibet arbore fructifera seu pomifera succisa XII grossi duntaxat passo dampnum exsolvantur cum pena XV.

106. Preterea cum dominus contra vlodarium vel alium familiarem suum aliquis pro rebus vel iniuriis suis habet questiones, tunc ipse vlodarius aut familiaris domino suo non deferendo iuramentum, teneatur se cum sex testibus expurgare.

107. Cum officium sculltetorum semper servile existat

et ad nullum dominorum suorum stare et facere iure te-neantur, indecens est, vt maiores aut potenciores perso-ne in scultecias aliquas, quam ipsarum villarum sui domini assumantur. Idcirco visum fuit nostris baroni-bus, vt nullus miles aut alius quicumque illustris emat aut acquirat sibi in aliqua villa sculteciam preter illi-us ville aut possessionis domini vel patroni voluntatem; factam autem contra hoc statutum ipsam empcionem decernimus irritam et inanem.

108. Cum omnis dissensionis et discordie sit mater com-munio, in qua eciam fratres aut germani existentes, ad rancores seu lites non modicas sepius prouocantur, ad quas euitandas homines ipsi, ne in periculum incidant vite vtriusque, consueuerunt vt plurimum, homines vi-uere et stare in proprijs domibus separatim, de parte bonorum siue hereditatum, que ipsos contingit, habita diuisione, inuicem ipsorum amicibus mediantibus, licet ad principem noticia ipsius non deducta. Sed quia se-pe contingit, quod ex aliquorum vita actiua et bona procuracione domus reparantur et procurantur, ceteri vero ipsum negligentes et in racione dissoluti, domos proprias ac bona hereditaria reformare non curantes, domos informatas et hereditates ad vtilitatem deduc-tas, iure pro se vendicant obtinere, fratres aut amicos ipsorum ad iudicia protrahentes, et sic quilibet pater-familias tactus hoc timore a reparacione bonorum se subtrahit et domorum ereccione, propter quod, vt a torpore et pigricia tales retrahamus et excitemus, et bene laborantes et procurantes aliquod commodum in-de reportent, statuimus nostra auctoritate, vt qui-cumque fratres vel amici, consanguinei vel remoti se-xus vtriusque ab inuicem separati fuerint vel diuisi et in hac separacione seu diuisione steterint per tri-ennium et tres menses in taciturnitate, ad iudicium non prouocantes, nisi causa legitima allegetur, prop-ter quam sibi non obuiet prescripcio, a repeticione seu vendicacione partis hereditatis fratris sui vel a-mici per prescripcionem obiectam legitime excludantur.

109. Cum furta et latrocinia propter seuitatem crimi-nis et inflictionem seu formidacionem pene pro delicto commisso opponende, per maleficos interdum plurimum

occultantur, ita quod noticia criminis in breui non potest propalari, et sic quandoque furta remanent impunita, vt cum contra eos accio proponitur, per excepcionem prescripcionis annualis volunt se tueri; in detestacionem itaque criminis decernimus, vt si quis de furto aut latrocinio in iudicio accusatur, si est manens secum in vna villa, aut in parochia vna audit secum diuina de domicilijs ipsorum, tunc obiectus annualis prescripcionis procedit et habet locum contra agentem de furto. Sin autem ab inuicem actor et reus sunt distantes, non alia prescripcio excepcionis agentem pro furto repellit, nisi tantum triennalis et imputent sue pigricie omnes desides et lenti, qui in sui damni recuperacione minime curauerint vigilare.

110. Si cuiuscumque pueri impuberes ante legitimam etatem ad iudicia trahuntur super hereditaria questione et ob defectum etatis cum actore litem contestari nequeunt, propter quod ex interlocucione iudicis litis contestacio eadem vsque ad etatem debitam illorum puerorum prorogatur et dilacione pendente aliquot anni effluere consueuerunt. Quibus tunc pueris legittimam etatem attingentibus, si questio eadem ipsis innouatur, excepcionem prescripcionis ijdem pueri agentibus de se illorum annorum, quibus induciati fuerunt, opponere non valebunt, sed tantum vtentur illorum dierum prescripcione, si qua fuit apud ipsos vel eorum progenitores, antequam fuissent primo ad iudicium super eadem causa euocati.

111. Cum realis distinccio personarum habeatur inter quas quedam persone libere, vt virorum, aliarum autem, vt mulierum minus libere agere possunt in iudicio, super rebus et hereditatibus ipsis debitis siue obligatis, propter quod statuimus, vt viris et masculis prescripcio triennalis tantum currat; viduis vero sex anni propter fragilitatem sexus in prescripcione opponantur; mulieri autem maritate, cum non habeat sui ipsius liberam potestatem propter maritum decem anni currant in prescripcione.

112. Vt calumpnijs malorum hominum omnis via precludatur, consueuerunt etenim quidam multum litigiosi calumpniose viros innocentes de crimine ho-

micidij commissi ante multos annos querulose accusare, cuius probacio vel purgacio propter vetustatem facti faci- lis haberi non potest. Unde statuimus, ut si quis de crimine homicidij vult agere aut accusare, cupiens pe- nam capitis sibi vendicare aut obtinere, antequam tres anni elabantur a die criminis commissi hoc in iudi- cium deducat, alias tribus annis elapsis petenti et a- genti pro capite obstabit excepcio prescripcionis obiecta.

113. Cum in causarum processibus apud iustos iudi- ces nihil habeat vendicare odium vel fauor usurpare, timor preualere aut premium iusticiam euertere, sed gestent stateram in manibus equo libramine lances appendentes, ut in concipiendis et ferendis sentencijs solum deum habentes pre oculis, ne velut fame sue prodigi et persecutores ipsorum honoris contra eorum conscienciam et iusticiam per graciam aut per sordes quidquam faciant partis in grauamen, propter quod statuimus, ut si aliquis deinceps iudex ordinarius vel delegatus dei timore postposito inique sentenciauerit contra aliquem clientulum alteri parti ipsum condem- pnando super hereditate aut alia re certa in iudicium deducta et propter hoc pars dampnata ad superiorem appellat, et quia moris est in iudicio polonicali, quod iudex a quo, cuius sentencia per partem impugnatur, non prius vult nec tenetur suam sentenciam defen- sare, nisi prius per partem tres marce aut pelles mardurine sibi assignentur, ut parilitas in penis habeatur, si idem iudex vincatur per partem con- dempnatam, eidem pelles aut tres marcas receptas cum pena pyanczuadzescza suffusus rubore suo ad- uersario restituat, qui ad superiorem in falsa pro- nunciacione euocauit.

114. Insuper statuimus, quod in nostra presencia vel coram nostro capitaneo, aut quando generales termini tenentur, palatinis et baronibus presentibus iudex iudicans non possit de malo iudicio redar- gui, cum non ipse solus, sed plures iudicant supra- dicta.

115. Adiicientes, quod quando super iudicato dubi- tatur et ad iudicem recipitur wstecz, quod ille, si

recordatur, qualiter iudicauit, statim dicere vel differre teneatur in crastinum.

116. Statuimus insuper, quod si litigator dixerit in nostra vel nostrorum baronum absencia iudicem in causa sua inique et perperam processisse seu iudicasse, iudex per suos collegas, qui secum eidem presiderunt iudicio, probare debebit, quod iuste et legittime iudicauit. Sin autem arguens senteciam suam de falso, probare voluerit, ipsum iudicem iniquam vt premittitur, sentenciam protulisse, id probare tenebitur per sex testes similis dignitatis et status, cuius noscitur fore iudex. Ceterum idem redarguens sentenciam iudicis, vt est predictum, contra ipsum nullatenus audiatur, donec iudici tres marcas vel pelles dederit mardurinas, quas idem iudex pro se racionabiliter obtinebit, si sentenciam suam, vt premittitur, comprobauerit fore iustam.

117. Similiter redarguens sentenciam subiudicis contra ipsum non debet audiri, nisi sibi pelles wlpinas vel tres perpones curauerit assignare, qui eidem subiudici cedunt, si se iuste probauerit iudicasse. Et id, quod de iudice premisimus, de castellano eciam censemus senciendum. Si vero iudicibus castellanorum obiciet aliquis falsitatem sentencie, respondere minime teneatur, donec illis pelles agnine fuerint presentate, quas pro se obtinere poterunt, si similiter suum iudicium ostenderint fore iustum.

118. Item ubi curie nostre sunt remote, terrigene nostri possunt recepta pignora ad curiam castellani aut palatini Cracouiensis, wlgariter dictam obora, in terra Cracouiensi prenotata commorantis depellere. Et idem de palatino Sandomiriensi volumus intelligi. Hoc specialiter declarantes, quod officiales alias sluzebnici non nisi palatini instituere habeant facultatem et eosdem iudicare, et pro afflicciona aut vulneribus vel pro capite eorundem penas exigere et leuare omnimodam habeant facultatem.

119. Cum sub vno principe eadem gens diuerso iure frui non debeat, ne sit tanquam monstrum diuersa habens capita, expedit reipublice, vt vno et equali

iudicio tam Cracovie quam Polonie et terre cetere nostre terre iudicentur. Et ex quo unus princeps est omnium, una eciam moneta in toto regno haberi debet, cum consilio tocius nostre baronie et assensu, que debet esse perpetua et bona in valore, ut per hoc magis sit grata et accepta.

120. Sed quia in armata milicia honor regis et defensio tocius regni dependet, tenetur quilibet miles secundum quantitatem suorum redituum et possessionem bonorum, ad rempublicam certis armatis hominibus deservire, dummodo bona ipsorum in libertate, que et ita de iure militali sunt libera, absque omni vexacione conserventur.

121. De cetero statuimus, quod cum aliquis emens hereditatem et ipsam tenens tribus annis et tribus mensibus pacifice et quiete, et si ipsum aliquis consanguineus vel affinis post predictos annos impediat, volens ipsum eximere per proximitatem de eadem hereditate vice versa, statuimus, quod ex quo idem proximior tacuit tribus annis et tribus mensibus prenotatis, amodo non sit ei licitum predictam hereditatem rehabere. Hoc eciam volumus intelligi, si aliquis debitor diceret, quod hec hereditas est mihi propinquior, quam tu tenes, quia venditor mihi prius debitus fuit, antequam ipsam comparasti, talis cuiuscumque condicionis sit, Christianus vel Iudeus, si tacuit tribus annis et tribus mensibus, silencium sibi perpetuum imponatur.

122. Cum pater decesserit pueris relictis et ipsis ante annos legitimos non educatis, tutor ipsorum non potest hereditatem ipsorum vendere, nec gades limitare nec ipsam aliquo modo deperdere, quousque pueri ad annos legittimos pervenerint et per se regantur: quam si vendiderit vel aliquo modo a pueris alienaverit, pueri cum ad annos discrecionis pervenerint, hereditatem suam in possessore lucrabunt vice versa, nec ipsis aliqua prescripcio obviabit. Citati vero respondere non tenentur, sed per iudicem anni ipsis compescentur, nisi in casibus infrascriptis: primo, si aliquis patri ipsorum hereditatem suam obligavit et ipsam eximere vellet, tunc pueri pecuniam recipere

-
teneantur pro eadem, quamuis annos legittimos non habe-
ant. Item si quis pro patre ipsorum fideiussoriam inci-
derit caucionem et viuente patre ad iudicium fuerit
prouocatus, tunc pueri respondere uel soluere teneantur
non expectando annos suos. Aut si pater pro aliqua
hereditate citatus fuisset adhuc viuens, tunc eciam
pueri respondere teneantur pro eadem hereditate.

123. Multocies contingit, quod pueris in orphanitate
constitutis, aliqui, quasi eisdem compacientes, ipsos
nomine tutorio recipiunt in curam et tutelam. Demum
ipsis ad etatem legittimam venientibus, a tutore so-
lent exigere racionem de bonis et rebus mobilibus et
inmobilibus quibuscunque. Vnde de consilio baro-
num nostrorum statuimus, quod tutor peractis tempo-
ribus de nullo racionem facere tenetur, nisi de censi-
bus et iumentis indomitis.

124. Statuimus eciam, quod postquam aliquis nostro-
rum nobilium filiam suam viuens nuptui tradiderit
et dotem sibi assignauerit competentem, ipso defuncto
eadem plura in fratribus repetere non poterit. Si vero
patre mortuo filia vel filie remanserint innupte, si
filia fuerit palatini et possessiones multe fuerint, ei-
dem centum marce pro dote per fratres assignentur.
Vbi vero possessiones pauce et filie multe vel vna he-
reditas, fiat existimacio in valore et pars contingens
cuilibet sorori per fratrem nomine dotalicij pecunia
persoluatur. Et idem sentenciamus de filiabus inferio-
rum nobilium a palatino, quod cum eas in vita
tradiderint maritis, dote similiter eisdem competenti
assignata, quibus de hac tunc sublatis, fratribus ques-
tionem mouere non poterint; fratres vero vterini cuili-
bet sorori nupte LX marcas soluere teneantur, si
possessiones sunt multe, vt prefertur, si vero pauce, fi-
at existimacio, vt supra, et pars contingens cuilibet
sorori in pecunia per fratres exsoluatur. Fratribus vero
vterinis non existentibus idem volumus de patruelibus
esse intelligendum; et patruelibus non existentibus, qui-
libet, qui de eisdem armis et consanguineitate proxi-
mior extiterit, in bonis hereditarijs seu patrimonia-
libus succedere poterit, sororibus dotatis, vt superius est
descriptum. Et interim quod sorores non fuerint matri-

-?

moniales copulate, hereditates patrimoniales quocunque modo vocitentur, predicti fratres possidebunt, quousque ipsam nuptui tradiderint, ipsis dotem assignando competentem, ut superius est descriptum. Hoc specialiter declarando, quod cum pater in vita sua aliquam nuptui tradiderit, de hoc debet contentari, quod sibi pater assignaverat adhuc vivens, nec fratribus pro dote aliquam questionem poterit movere, sed contentari debet de eo, quod parentes ipsius viventes pro dote, sui compotes existentes, sunt largiti.

125. Item statuimus, quicunque virginem, cuiuscunque status vel condicionis extiterit, sine voluntate parentum rapuerit et eam violenter oppresserit, vita ipsius sit in oppresse virginis gracia et amicorum eius. Item Filia omnino sine voluntate parentum raptori consenciens, vel se procurans rapi a raptore, etsi eidem postmodum matrimonialiter fuerit copulata, nihilominus dotem amittat, ita quod parentes seu amici eius non teneantur ad dotandum eandem.

126. Quicunque vero alicui virgini seu mulieri coniugate aut vidue in via, campo, silva, domo vel villa opprimendo violenciam fecerit, et virgo aut mulier violatoris oppressionem evadens, ad villam viciniorem veniens, seu in villa existens, ad villanos clamaverit plorando seu lacrimando, narrando sibi violenciam fore illatam et signa oppressionis in ea apparuerint manifesta, et subsequenter iuraverit, in nostra gracia amicorumque eius idem oppressor existat, et hoc si de eius clamore dicti villani fuerint protestati. Si vero virgo vel mulier de oppressione aliquem accusaverit calumpniose, et in ea signa oppressionis non apparuerint, ut est dictum, extunc is, quem accusaverit, cum sex sue condicionis hominibus se expurgabit, calumniatrix autem pena debita, cuiuscunque status vel condicionis existat, puniatur.

127. Statuendo declaramus, quod si quis tribus vicibus de furto vel spolio in iudicio convictus extiterit vel rem furtivam seu violenter ablatam restituerit, is infamis permaneat perpetuo, nec eidem porte pateant dignitatum, nullaque donaria in vestibus

aut alijs rebus a nobis penitus consequatur. Quod si accusato de furto et non conuicto, adhibito certo numero testium, fuerit indicta purgacio, et is si in vnius testis testimonio defecerit, propter hoc infamis nullatenus habeatur, sed passo dampnum satisfacere teneatur.

128. Statuimus insuper, quod interficiens indomitum iumentum cuiuscumque, quatuor marcas, poledrum vero interficiens, tres marcas, et vbi iumentum ictu vel plaga seu culpa alicuius aborsum fecerit, marcam cum media et pro poledro secundi anni quinque marcas huiusmodi ictum vel plagam inferens soluere teneatur. Vbi vero tercij, quarti, quinti vel sexti anni poledrum occiderit, iuxta quod passus dampnum suum per estimacione eiusdem poledri occisi iuramento suo firmauerit, satisfacere teneatur.

129. Statuimus eciam, quod quicumque habens cum aliquo limites, ipsos transgrediendo ligna vel quelibet vtensilia inciderit, is, cuius silua fuerit, incidentem primo in securi et palio, secundo in securi, pallio et tunica, tercio in bobus vel in equis seu in vno equo impignorare poterit sine pena. Sed si impignorauerit aliquem in duobus bobus vel equis, vnum pro se obtinebit, et alium bouem seu equum super fideiussoriam caucionem dimittat, et signum in arbore, vbi impignorauit, excidere teneatur. Si quis vero in gaio alterius furtiue vnam vel duas quercus inciderit, pro qualibet quercu sex scotos, si vero tres succiderit, tres ferlones illi, in cuius gaio fecit dampnum, cum tribus marcis pro pena et iudicio alias tres, et si tantum propagines absciderit, quatuor scotos ipsum incidentem soluere oportebit. Et idem volumus esse tenendum de quercubus siluarum seu in siluis aquaticis, videlicet circa Vartam, vel circa alias aquas decurrentes. De quercubus vero mericarum, que merica vulgariter dicitur dambrowa, duos scotos quilibet ipsam incidens persoluat. Sin autem tantum propagines vel ramos absciderit, solummodo impignorari debebit. Si quis autem arborem cum apibus inciderit, passo dampnum marcam et iudicio marcam, si vero sine apibus succiderit arborem, mediam marcam passo dampnum et iudicio conuictus exsoluat.

130. Statuimus, quod quilibet habens iumenta indomita a vigilia s. Adalberti vsque ad festum s. Michaelis sub custodia pascere teneatur; alias existimacionem dampni conuictus iudicio dampnum inferens domino, cuius pascua depasta sunt, satisfacere cum pena ~~teneatur~~ compellatur, iudicio vero pro pena marcam ad soluendum sit astrictus; sed ipsa iumenta dampnum passus ad domum propriam pellere non presumat.

131. Decreuimus eciam, quod quicumque scrophas proprias ad glandines silue alterius depulerit, hic, cuius silua fuerit, pro prima vice porcum vnum, secunda vice duos porcos mactare habebit, et tercia vice si inuenerit, omnes scrophas poterit pellere ad domum nostram magis vicinam, easdem nobiscum per medium diuisurus. Ita tamen, quod vbicumque predictos porcos infra suos limites mactauerit, signum in arbore excidere teneatur, et si pars aduersa dixerit, non ibi fuisse porcos mactatos, vbi signum fecerit, mactator eorundem porcorum id proprio firmabit iuramento.

132. Statuimus, quod quando aliquis habens siluam vel mericam a se distantem, porcos suos vel scrophas per bona alterius intermedia ipsas pellere voluerit ad eandem, id facere non possit per bona alterius, nisi tantum per viam ducentem ad siluam seu mericam. Et idem dicimus per omnia obseruandum de eo, qui pro suis scrophis vel porcis pro precio conduxerit siluam faginam vel glandinibus abundantem, et bona alterius sunt intermedia inter siluam huiusmodi vel mericam. Is vero, per cuius bona pecudes huiusmodi domini merice vel silue seu conductoris eiusdem minari seu pelli debebunt, ex vtraque parte vie ad triginta vlnas glandines proprias colligat seu depascat, vt sic predictus dominus vel conductor merice vel silue dictas suas scrophas vel porcos absque suo dampno seu offensa pellere possit ad eandem.

133. Statuimus, quod si aliquis coram nobis vel capitaneo nostro de aliquo crimine aut maleficio fuerit accusatus, et ad ostendendam suam innocen-

ciam per nos vel nostrum capitaneum admissus non fuerit et ob hoc ipsum fugere contingat, et ne fuga huiusmodi ad infamiam imputetur, idem fugiens coram reuerendo in Christo patre domino episcopo Cracouiensi vel palatinis Cracouiensi aut Sandomiriensi protestabitur, quod nos aut noster capitaneus ipsum ad expurgandum admittere noluimus. Et talis palatinus nostre illius terre profugo treugas duorum mensium dare poterit et ipsum profugum seruare; infra quod tempus idem palatinus apud nos vel nostros successores eidem profugo graciam et fauorem querat, vt ipsum ad iusticiam admittamus. Qui si palatinus predicta non poterit obtinere, quod eundem ad expurgandum suam innocenciam admittere non vellemus, extunc palatinus eundem profugum ad metas terre sue conducere teneatur. Qui a tempore conductus palatini infra annum terre, regno et terrigenis nocumenta inferre non debebit, vxore sua in bonis suis pacifice infra annum premissum dimissa et quiete. Quo anno euoluto, infra quod tempus graciam nostram semper querere debeat, et si ipsam inuenire non poterit et prefatus profugus aliqua nocumenta regno vel terrigenis intulerit, propter hoc infamis non debet reputari, nec ipsum captum per terrigenas, ad mortem nobis vel nostro capitaneo dare tenebuntur, nec propter hoc indignacionem vel offensam nostram incurrant terrigene predicti. Si vero maliciose et absque culpa aliquem fugere contigerit et iuri parere noluerit, et fugiendo nocumenta regno et terrigenis intulerit, bona ipsius immobilia preter dotalicium vxoris camere nostre perpetue applicentur, mobilia vero inter nos et barones nostros per medium diuidantur. Et si captus fuerit per quempiam in gracia nostra consistat, nec propter captiuitatem eius per amicos debet aliqua indignacio vel inimicicia occulta vel manifesta suboriri. Vxor vero sua in dotalicio remanebit, prout superius est notatum, vel ipsum vendere liberam habeat facultatem.

134. Preterea declarando statuimus, quod cum a nobis siue a quocunque alio domino nobis subiecto, kmetho fugerit absque culpa sui domini, idem fugiens nullum ius acquirit tamdiu, quamdiu domino suo

de mansione sua non constabit. Secus si de mansione sua domino constiterit et infra annum ipsum iure suo non impedierit, et tunc post annum repetere voluerit, iure terrestri sibi hoc facere licebit. Quod si profugus propter austeritatem seu rancorem domini sui redire eciam iure conuictus noluerit, extunc decernimus, quod idem fugitiuus domino suo tres marcas pro pena et censum anni ex integro, quem soluebat, soluere tenebitur, et per hoc a domino suo liberabitur fugitiuus antedictus. Hoc tamen in iure terrestri intelligi volumus. Quando vero kmetho in iure theutunico residebat, idem fugere seu recedere nequeat quoquomodo, nisi hereditate vendita vel si loco sui kmethonem eque diuitem collocet, aut agris in toto excultis seu exstirpatis et seminibus hiemalibus et estiualibus seminatis domino resignando recedere poterit quo placebit.

135. Porro cum iudaice prauitatis intencio in hoc versetur, vt Christianos non tantum in fide, quantum eciam in diuiciarum depressione semper deprimat et euellat, conuenit statuere, vt nullus Iudeus amplius alicui Christiano, in regno nostro amodo constituto, suas pecunias super literas obligacionis prestet aut mutuet, sed tantum ad pignus sufficiens prestare valeat, secundum consuetudinem antiquitus obseruatam.

136. Quoniam dum vultus noster ab his personis, ex quibus constat iudicium contemplatur, iudex se offert iusticiam ad reddendam promptiorem et abstinebunt a calumpnijs litigantes, proinde statuimus, quod dum nostre regie maiestati terram Calissiensem siue Posnaniensem continget intrare, iudex statim ad nostram curiam siue Calissiensis siue Posnaniensis intrare tenebitur et iudicio presidere, cognoscendo de omnibus causis hereditarijs eciam, tamen in presencia nostra vel preter nos de nostro speciali mandato. Alioquin nobis extra terram existentibus termini pro hereditatibus generales, prout hactenus obseruatum extitit teneantur.

137. Statuimus, quod scriptores iudiciorum a producente testes, quos scribent, de tribus grossis, vbi vero

terminos peremptorios scribent, de grosso medio conten-tentur. Item statuimus, quod officiales de vno pro-ducente testes habeant qvatuor scotos, a pena vero, que dicitur ssyedmdzesanth bovem, et quando pro furto pignorant, bovem mediocrem. Sed de limitacio-ne hereditatum pro vna die, si eam vna die consu-mauerit, vnicam vel mediam marcam, etiamsi du-as aut tres hereditates inter duos limitaret. Et si i-dem officialis, qui dicitur wozny, aliter formam iu-ramenti testibus diceret, quam est mandatum, et de hoc fuerit conuictus iudicio, alter loco sui substitua-tur et ipse a suo officio perpetuo deponatur.

138. Item statuimus, quod de causis criminalibus in absencia accusatoris seu actoris, cuius interest, nos vel nostri successores ac capitanei nostri cognoscere non debemus nec aliquem hominem condempnare, nisi conuictum iudicio vel confessum.

139. Preterea statuimus, quod quicumque in iudicio cultellum extraxerit et aliquem wlneraverit, in gracia nostra consistat. Si vero gladium vel cultellum extra-xerit et non wlneraverit, pena, que dicitur ssyedmdze-santh puniatur, et illi, quem dehonestaverit, pe-nam, que dicitur pyanthnadzescza soluere teneatur.

140. Insuper statuimus, quod si quispiam coram no-bis cultellum vel gladium extraxerit, et wlnus alicui non intulerit, in gracia nostra consistat; si vero wlnera-uerit, sine gracia puniatur. Et idem si coram nostro capitaneo hoc factum fuerit, decreuimus obseruari. Si vero coram domino archiepiscopo hoc factum con-tigerit, videlicet, quod cultellum vel gladium aliquis extraxerit, siue wlnerauerit siue non, pena, que dicitur ssyedmdzesanth puniatur, eidem domino ar-chiepiscopo applicanda. Et si quis turpia coram eo alicui protulerit, penam eidem domino archiepiscopo, que dicitur pyanthnadzescza persoluat. Si vero in curia nostra vel alicuius militis manicas quis de-traxerit, auris periculo sit subiectus. Vbi vero coram milite quis gladium vel cultellum extraxerit et vul-nerauerit aliquem, manus sua in gracia militis consistat; si autem wlnus non intulerit, cultello

manus sua poterit penetrari.

141. Decreuimus declarando, quod nos vel capitaneus noster, palatinus, iudex, subiudex et officialis, qui dicitur wozny, habeant facultatem dandi ministerialem ad citandum, ita tamen, quod qui habent ius, vt non citentur, nisi per literas nostras vel nostri capitanei, illi per literas duntaxat citentur. Sed curia nostra presente vel iudicio nostro generali existente, poterit officialis ad mandatum nostrum vel capitanei seu iudicis, sine litera citare in hospicio suo in foro. Sed extra curiam nostram vel iudicium nostrum si quis citari debuerit, non in domo militis sed apud vlodarium vel sculthetum edictum citatorium proponatur, actore presente vel eius nuncio, et contra quem accio fuerit dirigenda, causa citacionis et per quem citatur, exposita, assignato sibi certo termino comparendi: vt si citatus comparere noluerit vel contempserit, pro quolibet termino primo, secundo, octo scotos pro pena iudicio soluere teneatur, et in tercio termino si non comparuerit, causam perdat et ab accione cedat cum pena. Quod de rei contumacia est intelligendum. Si vero actor in primo termino nec per se nec per alium suum nuncium comparuerit, ab accione sua cedat cum pena VI marcarum, que in polonico szesc grzywen nuncupatur.

142. Perpetuo prohibemus edicto, quod nostri familiares vel aliqui in nostra curia citati seu coram nobis vel nostro iudicio arrestati et inopinate inuenti, respondere minime teneantur, sed citati legittime propositis sibi accionibus coram nobis vel iudicibus nostris respondebunt, concessa eis deliberacione super propositis accionibus competenti.

143. Preterea statuimus et edicto perpetuo seruari mandamus, quod quicumque venditam possessionem infra tres annos et tres menses volens in ea aliquod ius vendicare, in iudicium non reduxerit reclamando, vel hereditatem obligatam infra triginta annos non redimerit per se vel per consanguineos suos, quibus hoc competit de consuetudine speciali, hereditates sic vendite vel eciam obligate

elapsis annis prenotatis, quos volumus currere ab anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo, a dominica Letare, penes ipsos, quibus sunt vendite vel eciam obligate, perpetuo remaneant ipso facto.

144. Statuimus insuper, quod passus dampna per furtum vel spolium in pecoribus vel pecudibus et rebus minutis, infra annum tantummodo evocandi ad iudicium, quem voluerit, sed in iumentis et equis violenter vel furtive ablatis, infra duos annos habeat facultatem; post annos vero supradictos ad agendum non nisi testibus admittatur.

145. Preterea statuimus, quod quilibet fideiussor illo negante, pro quo fideiussum fuerit, si debitum fuerit viginti marcarum, solus, si quadraginta marcarum, metsecundus, in maiori vero pecuniarum quantitate mettercius ipsum debitum, pro quo fideiussum fuerat, fideiussor et duo alij firmabunt proprijs iuramentis.

146. Item statuimus, quod nullus fideiussor pro illo, pro quo fideiussit, in iudicio equum vel bovem obliget; alias si obligaverit, ad restauracionem dampnorum principalis persona minime teneatur, nisi id de persone principalis processerit voluntate.

147. Statuimus, quod quociescumque in iudicio in causis criminalibus sive quibuscumque alijs, magnus vel parvus quispiam convictus fuerit vel evocatus, et ipse dominum suum vel socium nominaverit, quod eadem fecerit de eius mandato, et ille veniens ad iudicium ipsum liberaverit, asserens ipsum id fecisse de suo mandato, citatus liberatus discedat et contra liberantem actio dirigatur; alioquin citatus respondere protinus teneatur.

148. Hoc statuto perpetuo declaramus, decernentes, quod donaciones fixe et firme debeant permanere, non obstante, si privilegium super eisdem donacionibus concessum non fuerit, dummodo morte donatoris, vel eius, cui donacio fuerit facta, confir-

metur, presertim his, qui nobis seu nostris successoribus presentibus, viriliter in bello pugnantes, fuerint interfecti, donacio perpetuam recipiat firmitatem.

149. Declaramus eciam et decernimus, quod barones et nobiles nostri terre Polonie, nobis et nostris successoribus in terra et regno Polonie servire in armis, prout melius poterint, teneantur. Ultra metas regni non teneantur servire nobis, nisi ipsis competens satisfaccio per nos impendatur, aut per nos fuerint petiti aut rogati.

150. Statuimus, quod ubi pater post obitum sue coniugis inter filios suorum fecerit divisionem bonorum, quam filijs denegare non valeat, ipsa per nos aut capitaneum nostrum eadem divisio notificata non fuerit seu confirmata, eodem patre mortuo, filij eandem divisionem rescindere valeant quoquomodo, sed paternam porcionem inter se dividant isto modo. Facta autem huiusmodi divisione, ut est dictum, si pater aliam uxorem duxerit et filios ex eadem susceperit, filij prioris matrimonij ad partem paternam nequeant conspirare, sed erit ipsa porcio secundi matrimonij filiorum, qui filij divisionem patris non possunt rescindere. De filiabus vero, si quis habuerit vel eas rebiquerit, fiat, ut prius est constitutum. Si duo vel tres fratres divisionem inter se fecerint, uno ex ipsis mortuo, nec fratres superstites, nec filij fratris presumant rescindere nec poterunt divisionem eandem, quatenus eorum divisio per nos aut per nostrum capitaneum fuerit confirmata.

151. Quamvis occidens hominem secundum legitimas sancciones foret capitali pena plectendus, nos rigorem huiusmodi temperantes, statuimus, quod occidens militem, triginta marcas parentibus, pueris vel amicis occisi, mutilans autem eundem in manu, pede vel naso, quindecim marcas, in pollice vero mutilans octo marcas, digitum quemlibet alium amputans, tres marcas grossorum ipsi mutilato vel digito leso, ut supra dicitur, solvere teneatur. Pro qualibet vero wlneracione predictorum membrorum, pena que dicitur pyanthnadzescze

vulnerato persolvatur. Si vero quispiam kmethonem occiderit, tres marcas solvere teneatur, quarum tres uxori vel pueris, si superstites fuerint, vel his non existentibus, propinquis occisi, domino vero, si occisor et occisus de bonis ipsius fuerint, tres marce residue integraliter persolvantur. Si vero occisor et occisus fuerint duorum dominorum, eis dicte tres marce residue inter ipsos diuidende per medium dari debent. Vulnerans autem kmethonem eidem vulnerato pro vulnere mediam marcam, domino autem ipsius, si vulneratus et vulnerans de villa unius domini fuerint, unam marcam integram ipse vulnerans pro pena solvere teneatur. Si vero vulnerans et vulneratus duorum dominorum fuerint, inter ipsos huiusmodi marca penalis per medium diuidatur.

152. Preterea statuimus, quod si quis de villa unius domini in alterius villa furtum fecerit in lacu, piscina vel in aqua fluenti, in feno et frumento in campis, iudicio conuictus dampnum passo satisfacere et domino, cuius homo furtum fecit, ipse fur marcam grossorum solvere teneatur. Depascentes vero et incidentes gramina cum falce, in falce vel pallio, et incidentes ligna in dominio alterius, in securi tantummodo pignorentur; pignora vero predicta si pignorans ea seruandi ius non habuerit, deferre ea ad proprium iudicem teneatur.

153. Vsurarum voraginem, que facultates exhauriat, compescere cupientes, statuimus eciam, quod Iudei nostrarum ciuitatum per septimanam non plus de usura recipiant, nisi tantum unum grossum a marca.

154. Ceterum statuimus, quod quocienscumque aliquos cuiuscumque status vel condicionis existant, contendere contigerit et famulus dominum suum iuuando exempto gladio vel cultello vulnerauerit aliquem, pro eo indignacionem vulnerati vel amicorum ipsius aliquatenus non incurrat, sed dominus suus, quando culpabilis fuerit, impetatur pro vulnere iudicio mediante.

155. Cum dicit scriptura, quod filius non portabit

wlnerato persolvatur. Si vero quispiam kmethonem occiderit, sex marcas solvere teneatur, quarum tres uxori vel pueris, si superstites fuerint, vel his non existentibus, propinquis occisi, domino vero, si occisor et occisus de bonis ipsius fuerint, tres marce residue integraliter persolvantur. Si vero occisor et occisus fuerint duorum dominorum, eis dicte tres marce residue inter ipsos dividende per medium dari debent. Wlnerans autem kmethonem eidem wlnerato pro wlnere mediam marcam, domino autem ipsius, si wlneratus et wlnerans de villa unius domini fuerint, unam marcam integram ipse wlnerans pro pena solvere teneatur. Si vero wlnerans et wlneratus duorum dominorum fuerint, inter ipsos huiusmodi marca penalis per medium dividatur.

152. Preterea statuimus, quod si quis de villa unius domini in alterius villa furtum fecerit in lacu, piscina vel in aqua fluenti, in feno et frumento in campis, iudicio convictus dampnum passo satisfacere et domino, cuius homo furtum fecit, ipse fur marcam grossorum solvere teneatur. Depascentes vero et incidentes gramina cum falce, in falce vel pallio, et incidentes ligna in dominio alterius, in securi tantummodo pignorentur; pignora vero predicta si pignorans ea serviandi ius non habuerit, deferre ea ad proprium iudicem teneatur.

153. Usurarum voraginem, que facultates exhauriat, compescere cupientes, statuimus eciam, quod Iudei nostrarum civitatum per septimanam non plus de usura recipiant, nisi tantum unum grossum a marca.

154. Ceterum statuimus, quod quociescumque aliquos cuiuscumque status vel condicionis existant, contendere contigerit et famulus dominum suum iuvando exempto gladio vel cultello wlneraverit aliquem, pro eo indignacionem wlnerati vel amicorum ipsius aliquatenus non incurrat, sed dominus suus, quando culpabilis fuerit, impetatur pro wlnere iudicio mediante.

155. Cum dicit scriptura, quod filius non portabit

iniquitatem patris, nec eciam e converso, statuimus, quod pater pro nequam filio et e converso minime puniatur et idem de fratribus germanis vel quibuslibet consanguineis declaramus fore servandum. Nisi pater de culpa filij vel filius de culpa patris aut frater de culpa fratris participando in crimine, criminose delatus vel accusatus se nequierit expurgare; quia tunc arbitratus secundum culpe exigenciam punietur et committens crimen secundum magnitudinem eiusdem solummodo percellatur, in bonis mobilibus seu in parte hereditatis, que ipsum contingit, nostre curie applicanda.

156. Statuimus, quod si quis ad domum militis veniens, ipsum in suorum presencia occiderit puerorum, penam syedmdzesath solvere teneatur. Eandem eciam penam quilibet nobilium, qui tunc fuerint cum eodem prebentes auxilium ad occidendum militem predictum, syedmdzesanth videlicet iudicio, penam vero, que dicitur pyanthnadzescza occisi pueris solvere sit adstrictus. Et hec pena syedmdzesanth pro eo sine gracia nyemyloscywa wlgariter appellatur, quia tam diu infignoretur militis interfector, quamdiu huiusmodi pena totaliter non fuerit persoluta. In casibus eciam infrascriptis quis hanc penam incurrit: qui tres exciderit vel cremaverit gades sectas, vel tres monticulos gadum dissipaverit. Item quando quis tres arbores cum apibus succiderit vel apes cum melle abstraxerit seu exponeerit et fuerit legittima probacione convictus. Item abducens furtive vel eciam violenter tria vel plura iumenta indomita seu illa wlneraverit vel occiderit. Item quando quis de incendio est convictus aut intrans villam alicuius exciderit enormiter in eadem. Ultimo, quando quis convincitur, quod spolium in strata publica seu violenciam aut inhonestatem aliquam committere non expavit, ut qui stupraverit virginem seu mulierem. In quolibet casuum premissorum ipse delinquens pena syedmdzesanth huiusmodi adstringatur.

157. Cum ex calumpnijs malignancium hominum destruccio sit plurimorum, convenit statuere, ut

iudicia castellanorum aliquorum, quorum solucio tan-
tummodo ex calumpnijs dependet, omnino amputentur.

158. Ex iure diuino tenetur, quod iniquitas unius, al-
teri non debeat obesse. Statuto hoc debet teneri, quod
pro pena militis aut fideiussoria caucione unetho
non debeat impignorari; sed si tenetur miles aut
quiuis alter, soluat de proprijs bonis.

159. Quia ex facilitate obligacionis ad magna dam-
pna homines deueniunt, iure tenendum est, quod si
quis fideiubet pro aliquo suo amico certam pecunie
quantitatem, ad aliquem ciuem vel ad alium quem-
cumque hominem, cuiuscumque status vel condicionis
existat, illo non soluente in termino adueniente, fide-
iussor propter hoc non debet ad hospicium in obstagium
subintrare, aut aliqua damna facere non soluentis in
destruccionem, sed si est paruum debitum, detur eius
pignus et distrahatur; si autem magnum possessio
debitoris pro valore debiti per fideiussorem apprehen-
datur illi, cui debitum dare tenetur.

160. Sed quia ludus taxillorum multos iustos et a-
lios probos dampnat et dehonestat, pro remedio hu-
ius periculi statuto debet teneri, quod ludus taxil-
lorum pro parata pecunia exerceatur et non ludant
ad prestandum, sicut facere consueuerunt. Namque
plurimi homines ad iram in ludo prouocati et volen-
tes vlcisci contra vincentes, ludunt vltra substanciam
ipsorum, quia facilitas scripture ipsius ludi eos non
tantum grauat, quantum parate pecunie amissio
ipsos grauasset.

161. Item quum omnibus violencia sit ab omnibus
iuribus prohibita, exigit regie maiestati prohibe-
re, ne transeuntes per viam ad dominos ipsorum
vel in proprijs negocijs ordinandis siue sint prin-
cipes, milites aut alterius status cuiuscumque
vel condicionis homines existant, pro se expensas
aut pabula equorum in villis, tabernis aut in
locis solitarijs vi recipiant, aut aliquam vim in-
ferant volentibus vendere, aut a vendicione se re-
trahentibus; sed vnusquisque re sua libere vtatur

pro libito sue voluntatis.

162. Verum quia gwerrarum strepitus ex inordinata milicia plus proprias terras quam alienas consueverunt ex rapina indebite deserlare, ad succurrendum huic remedio convenit statuere, quod transeuntes ad expedicionem in suis proprijs terris non plus pro sumptibus ipsorum et equorum recipiant, nisi moderatum pabulum aut victum ipsorum, sine quo transitus alias haberi non posset.

163. Statuimus, quod si quis inculpatus fuerit, quod non haberet ius militale, ipse duos seniores sue genologie, alios duos alterius genologie et tercios duos tercie genologie bonos producat more consueto ad obtinendum suum ius militale.

164. Eciam statuimus, si quis militum aut nobilium de hoc seculo migrabit, habens filios et filias, tunc fratres suas sorores maritis tradent, dote eis assignata more consueto. Si autem filios non habuerit, sed filias, tunc filiabus omnes hereditates et possessiones cedent paterne, et si fratres patrueles ipsas obtinere voluerint, tunc milites iuxta conscienciam ipsorum predictas hereditates taxabunt, et a die taxacionis iam dicti fratres patrueles sororibus infra annum parata pecunia, secundum quod fuerint taxate, persolvere tenebuntur; et si in spacio unius anni solvere neglexerint, tunc filie hereditates perpetuo possidebunt.

165. Cum in gravi debito rixe plerumque, utpote L X, C, CC aut pluribus pecunijs suscitantur, tantum debitum brevi tempore provideri et inopinate ac subito solvi non potest, ex gracia censuimus statuendum, ut XVIII septimanis terminus inclusivus observetur de solvendo; pro primo termino VI septimane, pro reliquo alie VI septimane, pro tercio tercie et ultime sex septimane. Hunc eciam terminum, dum quis extra terram sit et citatur, pro termino peremptorio eidem ad iudicium se sistendi declaramus; alias iudex ad diffinitivam procedat senteneciam, huiusmodi contumacia citati

non obstante.

166. Contingit sepius, quod dum Petrus citat Johannem, idem Johannes reus vel per se vel per suum responsalem, in primo et secundo termino facit et procurat dilacionem, in termino autem peremptorio, eisdem partibus assignato, Petrus actor per infirmitatem, aquarum inundacionem aut captivitatem aut similem causam petit in huius causa fieri dilacionem, parte adversa postulante, quod propter contumaciam actoris, cum sit peremptorius terminus, diffinitive iustificetur. Statuimus, quod in tali casu habita et recepta fide super huiusmodi impedimento, alius terminus partibus assignetur.

56.

K. 56.
19. VI. 1952 Jaromykov